This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08160614 1

Digitized by Google

Digitized by Google

Homer

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

(Dulin)
H-MV

~~952~~ c

Digitized by Google

DE

MENELAI ITINERE AEGYPTIO

ODYSSEAE CARMINIS IV EPISODIO

QVAESTIONES CRITICAE

SCRIPSIT

FRIDERICVS DE DVHN

DR. PHIL.

NEW YORK PUBLIC LIBRARY

BONNAE

APVD EDVARDVM WEBER.

(R. WEBER & M. HOCHGVERTEL)

1874

Digitized by Google

5688

Digitized by Google

FRANCISCO BVECHELER

HERMANNO VSENER

S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Homericarum quaestionum molem iam nimis ingravescentem augere ego quidem nolui cum primum quaecunque apud Graecos de Helena ferebantur fabulas accuratius pertractarem, quam commentationem huius universitatis philosophorum ordo anno superiore praemio Welckeriano ornavit. Sed cum viderem, eas Odysseae partes quas Kirchhoffius nondum inlustravit, tantis tenebris offusas iacere, ut quo magis eo duce me carere dolerem, eo minor fieret qua Homericis fabulis uterer fiducia: omni studio id quidem curavi ut ea carmina unde varias de Helena fabulas Homericas constituere licebat composita et inter se comparata quo modo consuta essent perspicerem. Quam operam cum non frustra me sumpsisse alii iudicaverint, nonnulla nunc veteris formae indicia quae in episodio Telemachiae quam vocant inserto mihi videor detexisse promam, quibus alii spero fore ut utantur qui carminum Homericorum principia investigabunt.

I.

Omnis de carminum Homericorum pristina forma quaestio in tempore quo singulae partes compositae et conglutinatae sint recte perspiciendo posita est. vix autem recte illud perspicietur, nisi versus hinc illinc repetitos spectaveris, qui ab ipso poeta principe profecti, qui imitatione orti sint. Itaque nobis, qui de Menelai itinere Aegyptio quaerere instituimus, in primis ei versus tractandi sunt quibus filius Lacedaemone redux matri narrat quae de patre a Menelao acceperit ϱ 108—146. excipiuntur autem illi versibus quin-

Digitized by Google

decim (151—165), quibus Theoclymenus Penelopae vaticinatur, illa respondet. Et Theoclymeni quidem personae, cum singularem huius loci naturam atque originem reputaverit, non nihil tribuet qui de hac carminis ρ parte eiusque auctoritate recto iudicio uti velit: prius igitur quam praecedentes adeamus, hos versus intueamur, comparatis eis quibus Telemachi Pylo decessus narratur ο 220 sqq.: ibi Theoclymenum habemus fugitivum Telemachoque supplicantem ut eius cura Ithacam abductus morti eripiatur. Quid sibi vult mirus iste homo, cuius fata tam prolixe narrantur, ut metuas ne de Telemachi adventu a filio certior factus Nestor interveniat et hospitem retineat omnisque qua navem ille parari iussit festinatio inutilis fiat? Num ab eodem poeta qui Telemachum Pyliorum de litore navem solventem primus cecinit, etiam molestum istum vatem inductum esse credamus? Minime vero. vel ipse versuum contextus posteriorem manum arguere videtur, quae huic loco inseruerit narratiunculam aliunde acceptam [1]). audias modo (ο 220 sqq.):

ὣς ἔφαθ', οἱ δ' ἄρα τοῦ μάλα μὲν κλύον ἠδ' ἐπίθοντο,
αἶψα δ' ἄρ' εἴσβαινον καὶ ἐπὶ κλῆισι καθῖζον.
ἤτοι ὁ μὲν τὰ πονεῖτο καὶ εὔχετο, θῦε δ' Ἀθήνῃ
νηὶ παρὰ πρυμνῇ· σχεδόθεν δέ οἱ ἦλυθεν ἀνήρ eqs.

nil obstat quo minus poeta continuo scripserit:

---

1) Simile iudicium protulerunt A. Heerklotz in libello de Odyssea Treviris 1854 edito p. 72, Albertus Rhode in dissertatione de Odysseae carminibus XIII—XVI scripta quae Brandenburgi 1858 prodiit p. 30 coll. p. 50, Ludovicus Adam in utraque quam de Telemachia scripsit commentatione (de antiquissimis Telemachiae carminibus. Wiesbaden 1871 p. 11; die ursprüngliche gestalt der Telemachie und ihre einfügung in die Odyssee. Wiesbaden 1874 p. 24), Theodorus Bergk (G.L.G. I p. 704. 707), Eduardus Kammer (die einheit der Odyssee. Leipzig 1874 p. 563—577), alii. sed cum rationem cur ista de Theoclymeno narratio interpolata sit non satis explicaverint, non satis faciunt (cf. Kirchhoff, die Comp. d. Odyss. p. 201): recentioris temporis odorem illis de Theoclymeno versibus inesse, luculentissima demonstratione docuit Hennings de Telemachia p. 200 sq. coll. p. 204: sed ne ille quidem narrationis causas explanavit.

Digitized by Google

ϑῦε δ' Ἀθήνῃ
νηὶ παρὰ πρυμνῇ· τοὶ δὲ πρυμνήσια ἔλυσαν (286)

Cur vero ista tam insipienter inserta sit de Theoclymeno a Telemacho recepto narratio, postea docemur: postquam Ithacae Telemachus navi egressus est, dextram avem Theoclymenus ei interpretatur in hunc modum (*o* 531 sqq.):

Τηλέμαχ', οὔτοι ἄνευ θεοῦ ἔπτατο δεξιὸς ὄρνις·
ἔγνων γάρ μιν ἐσάντα ἰδὼν οἰωνὸν ἐόντα.
ὑμετέρου δ' οὐκ ἔστι γένος βασιλεύτερον ἄλλο
ἐν δήμῳ Ἰθάκης, ἀλλ' ὑμεῖς καρτεροὶ αἰεί.

idem Penelopae quid sibi voluerit istud augurium clarius aperit *ρ* 151 sqq., nuntians Ulixem Ithacae iam morari procisque mala moliri:

τοῖον ἐγὼν οἰωνὸν ἐυσσέλμου ἐπὶ νηὸς
ἥμενος ἐφρασάμην καὶ Τηλεμάχῳ ἐγεγώνευν [1]).

matri tum demum audet vaticinium suum plenum et perspicuum referre, postquam filius quae in itinere de patre audiverat narravit: sin prius vates locutus esset, filius non habuisset quod narraret de patre apud Calypso morante, vel ipsum filii iter Laconicum frustra factum esse videretur. optume autem mater parum credula vati respondet, optatius vatici-

---

1) Hos versus cum eis quos praemisi *o* 531 sqq. parum convenire optume veteres videbant: cf. Aristonic. *π. σημ. Ὀδ.* ed. Carnuth p. 140 coll. Lehrs. Ar. p. 100, qui tamen cum eos condemnarent difficultatem parum caute solvebant; quamquam qui cum eis faciant non desunt: videas e. c. quae Ricardus Volkmann in commentationum epicarum (Lips. 1854) p. 94 sq. de Theoclymeno exposuit. ex illa versuum discrepantia colligas, non eundem fuisse poetam qui Telemachiam cum Odyssea iunxerit atque illum qui de Theoclymeno narrationem composuerit. mihi quidem, ut dicam quod sentio, Theoclymenus matri vaticinans perinde ac Telemachus ad matrem redux multo sinceriore veteris poeseos fonte ortus videtur, quam vates Telemacho auspicium enarrans, et Telemachus apud Eumaeum advena: eisdem enim verbis mater Theoclymeno respondet *ρ* 163—165 ac filius *o* 536—538, eisdem mater filium amplectitur *ρ* 41 sq. atque Eumaeus *π* 23 sq.: horum autem versuum qui imitatione orti, qui vetustiores et genuini sint, non dubito quin alii idem ipsi sentiant quod mihi persuasum est.

Digitized by Google

nium esse rata quam verius, nam spes ei exutae sunt audita filii narratione. Neque solum vaticinii, etiam ipsius Theoclymeni nulla postea mentio fit, nisi quod semel monito satis inutili procos lacessit forasque ab eis eicitur (*v* 350—372). Quid igitur? num credamus, iterum quaeso, poetam quisquis fuit vatem tam importunum, qui cum Telemachi Pylo discessus narratur omnia interturbat, qui Telemacho et matri vaticinia dicit vera quidem, sed ut nunc res est prorsus inutilia, ipsum invenisse quo narrationem suam tardaret? Huic poetae homo ille molestus est, perutilis vero ei, qui Telemachia nondum cognita res Ithacae gestas narraturus erat. nam eadem vice Theoclymenus iste tum fungebatur qua tota nunc Telemachia. Ex longa enim Ulixis ab Ithaca absentia poeta tam procorum insolentiam repetiit quam angorem uxoris: vaticiniis igitur hanc sedari oportuit, ne ad summam desperationem redacta procis urgentibus tandem cederet, cum maritum paullo post reducem visura esset: quod si quis Theoclymeni adventum cum Telemachi itinere Laconico accuratius comparaverit, neque ullo modo intelleget utrumque simul posse stare neque vero ab eodem poeta potuisse fingi: duae sunt eodem consilio fictae narrationes, vetustior [1]) altera altera recentior. recentiorem qui cum Ulixis reditu coniunxit poeta, vetustiorem non neglexit, sed eodem quo cyclici poetae studio illo omnia quae de eisdem viris narrata inveniebant consarcinandi abreptus suo carmini ita eam conatus est adsuere, ut omnem discrepantiam tolleret. quam rem non ita ei successisse non mireris, si ipsam quam nunc adgressuri sumus Telemachi ad matrem de itinere suo narrationem vi-

---

1) Vetustiorem dico, non tamquam affirmaverim superiore quam Telemachiam tempore istam de Theoclymeno narrationem ortam esse (de qua cf. quae Hennings l. c. demonstravit), at prius quam Telemachia, a cuius argumento prorsus aliena est, cum Odyssea in hanc quam nunc legimus formam cogeretur: id quod ante Ol. 20 non factum esse Kirchhoffius persuasit (de compos. Odysseae p. 105 coll. p. 94 95 eisque quae de Nostorum tempore C. O. Mueller confecit (Z. f. d. A. W. 1835 p. 1168) cf. Welcker de cyclo epico II. p. 293, 12.)

Digitized by Google

deris quam omni proprietate, colore omni careat [1]). Vidimus autem, poetam istum — si poetae nomine qui ornetur dignus est — cum de Theoclymeno narrationem servaret et uni illi quod Odyssea et Telemachia colligandis efficere studuit corpori aptare laboraret, tam religiose quaecunque ei se obtulerunt recepisse, ut ambabus amplectendum sit quodquod de Telemachia qualem ipse traditam acceperit inde capiatur testimonium. Fuisse enim aliam Telemachiae formam, constrictiorem eam et breviorem, eius poetae oculis subiectam qui hanc Telemachi ad matrem narrationem composuit, felicissime iam Henningsius p. 192 sq. demonstravit usus verbis *ταῦτα τελευτήσας νεόμην* eqs. (ρ 148. 149 = δ 585. 586); neque hos versus (ρ 118 sqq.)

ἔνθ' ἴδον Ἀργείην Ἑλένην, ἧς εἵνεκα πολλὰ
Ἀργεῖοι Τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν.
εἴρετο δ' αὐτίκ' ἔπειτα βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος,
ὅττευ χρηίζων ἱκόμην Λακεδαίμονα δίαν eqs.

in eam quam nos legimus narrationem bene quadrare ipse Henningsius aliique viderunt: nec fugerit accuratius intuentem, fieri non posse ut ab eodem poeta profecta sint tam Pisistrati verba δ 156 sqq. quam Menelai interrogatio δ 312 sqq. audiverat enim Menelaus a Pisistrato, qua de causa Telemachus venisset. iure igitur mireris alteram Menelai quaestionem, et eam prolatam in diem insequentem, iure mireris Telemachum tanta patris cura distentum tacere nec statim, ubi de Ulixe sermo fit, Menelaum quaestionibus adire: „neque potest non taedium afferre orationis inopia qua Telemachus in magna certe eius libri parte laborat“, quod qui in commentatione de *γαμοποιίᾳ* Menelai (Gissae 1846) scripta (p. 2) dixit Rumpfius idem p. 4 serae Telemachi interrogationis excusationem quaerit futtilissimam: quod enim insequenti die Telemachus quaestionem suam profert, illud si quid aliud interpolato-

1) Sartor ille quisquis fuit quam male munere suo functus sit, Henningsius cum de Telemachia ageret ab Odysseae carminibus olim aliena, postea demum eis addita, p. 219—224 optume ostendit cf. quam de Odysseae carmine XVII Albertus Rhode Dresdae 1848 edidit commentationem p. 19 sq.

Digitized by Google

rem prodit, cuius frequens mos est noctem intercalare qua seiungat duas quas eiusdem rei assumpsit narrationes. Tu quod expectaveris Telemachum, postquam Helenam vidit filiusque Ulixis ab ipsa et marito agnitus est, statim a Menelao interrogatum unde venisset quid vellet, proferre quae sibi cordi essent, ilico ab illo edoceri, talia legit sine dubio qui versus ρ 118 sqq. composuit. quos nos habemus versus 316—331 idem num legerit nescio [1]), certe habuit quos exscripsit insequentes 333—350.

Contuli quidquid de Telemachia qualis fuerit cum Odysseae carminibus insereretur, e narratione filii ad matrem efficitur, quo maiorem vim verbis ρ 142 sqq. tribuerem: sunt autem haec:

(γέρων ἅλιος νημερτής — Protei nomen prorsus abesse cave ne neglegas —)

φῆ μιν ὅγ' ἐν νήσῳ ἰδέειν κρατέρ' ἄλγε' ἔχοντα.
νύμφης ἐν μεγάροισι Καλυψοῦς, ἥ μιν ἀνάγκη
ἴσχει· ὁ δ' οὐ δύναται ἣν πατρίδα γαῖαν ἱκέσθαι.
οὐ γάρ οἱ πάρα νῆες ἐπήρετμοι καὶ ἑταῖροι,
οἵ κέν μιν πέμποιεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης.

quos versus repetitos esse e sciscitatione Protei quam Telemachiae nos habemus insertam, si obiter utraque verba intuearis confirmare nullus dubitabis: non enim differunt nisi quod Proteus Menelao dicit Ulixem se vidisse

δ 556 ἐν νήσῳ θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντα.

cum alioqui aliorum vestigia tam fideliter presserit poeta qui fit ut in enarrandis ipsis Ulixis fatis non Protei verbis utatur, quibus uti facillime potuit? cur enim non scripsit:

φῆ μιν ὅγ' ἐν νήσῳ ἰδέειν κατὰ δάκρυ χέοντα?

Ridiculus sane viderer qui talibus minutiis vim aliquam tribuerem, nisi accederet quo excusatum me iri spero aliud: nimirum inter eos versus qui post Telemachiam Odysseae inculcatam νόστῳ Ulixis praefixi sunt in carminis quinti exordio [2]) habes eosdem versus (ε 13—17), quorum primus hic est:

---

1) Quorum videas quae Rumpf de γαμοποιίᾳ p. 5 contulit similia.

2) Videas quae de eis statuit Kirchhoff (die Homerische

Digitized by Google

ἀλλ' ὁ μὲν ἐν νήσῳ κεῖται κρατέρ' ἄλγεα πάσχων
qui versus eodem fere modo finitur atque ϱ 142, nisi quod nominativo casu *πάσχων* legitur, quod illi qui obliquo sermone utebatur, casu accusativo *ἔχοντα* dicendum fuit. iam spero dubium non fore quam non recte Henningsius p. 153 ε 13—17 versus e δ 556—560 desumptos esse contenderit. immo qui sine ira et studio tres illos locos comparaverit non potest quin primitivum esse concedat versum quem legimus ε 13:

ἀλλ' ὁ μὲν ἐν νήσῳ κεῖται κρατέρ' ἄλγεα πάσχων,
eumque iteratum obliquo sermone ϱ 142:

φῆ μιν ὅγ' ἐν νήσῳ ἰδέειν κρατέρ' ἄλγε' ἔχοντα.
liberius autem primum versum temptavit is qui ipsi Proteo loquenti eum tribuebat: scripsit Odysseae potius versu κ 409 (coll. 570) quam Iliadis Z 496 [1]) expresso

τὸν δ' ἴδον ἐν νήσῳ θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντα.
Quodsi recte de tribus his versibus disputavimus — id quod haud scio qua ratione negaveris — etiam Menelai iter Aegyptium patet quo tempore Odysseae insertum sit: caruit enim Telemachia toto hoc episodio, cum primum eis carminibus quibus Ulixis reditus narratus est adiungebatur, quo factum est ut ille qui duas eas Odysseae partes coniunxit Telemachique ad matrem de itinere suo narrationem composuit, versus eos quibus Telemachus a Menelao de patre nuntium accipit, non inde sumeret ubi hodie leguntur maiori de Proteo carmini inserti, sed ex alia quadam multo breviore Menelai ad Telemachum narratione, unde etiam ille exscripsit

---

Odyssee Berol. 1859 p. IX et 175—181), demonstraverunt Hennings de Telemachia p. 152 sqq. 157, Kayser de div. carm. Hom. orig. p. 11, Schmitt de secundo in Odyssea ε 1—42 deorum concilio interpolato Frib. 1852 p. 12—15, alii quos composuerunt Koechly in actis philologorum Augustam Vindelicorum congressorum (Lips. 1863) p. 42**, Hartel in Austriae gymnasiorum diario anni 1864 p. 493, 24. atque in eandem sententiam abiit qui nuper commentationem edidit bonae frugis plenam Christianus Heimreich Flensburgensis (die Telemachie und der jüngere Nostos. Flensb. 1871 p. 11).

1) Id quod contendit L. Adam de antiquiss. Telemachiae carminibus (Wiesbaden 1871) p. 6.

Digitized by Google

qui carminis ε exordium consarcinavit. addas quod, si e nostro carmine centonarius ille poeta desumpsisset quibus de patre Telemachus matri refert versus, sine dubio qui verbis Menelai referendis ceteroquin non ita pepercit addidisset quaedam de sene marino veraci, de ipso Menelai itinere, de Aegypto, alia quae opus erant ad fidem narrationis matri comprobandam.

Id igitur quod hodie legimus de Proteo carmen non habuit qui Telemachiam cum Odyssea post Ol. 20 conserebat.

II.

Ipsum vero de Proteo carmen qui composuit Odysseae nullam rationem habuit. frustula enim sunt rerum a Menelao gestarum miserrime consuta et mutilata ad eorum quae in Odyssea narrantur similitudinem, addiditque haec Telemachiae cum Odyssea in unum corpus iam coactae homo quidam ipsos versus δ 349 350 et 585 586 (quos vetustos esse conglutinatoris imitatione ρ 140 141 et 148 149 docemur) ampliore narratione aliunde hausta explicaturus, idem fortasse, cui carminis ε exordium debetur. quod si de Proteo carmen compositum esset ut Menelaus edoceretur quod Telemacho sciscitanti de patre narraret, totius carminis quasi cardinem fecisset poeta ea quae de Ulixe Proteus refert δ 498. 550—560 exilia ista et minime totius carminis consilio convenientia. Cuius discordiae causas qui quaesierit, facile sibi persuadebit, interpolata esse, quo melius cum Odyssea congruerent quae coniungi non patiebantur, Protei de Ulixe verba, id quod miror quasi neminem adhuc vidisse [1]).

Versum 498

εἷς δ' ἔτι που ζωὸς κατερύκεται εὐρέι πόντῳ

---

1) Dudum postquam haec intellexi ab amico commonefactus in dissertationem priorem incidi quam de antiquissimis Telemachiae carminibus Mattiaci 1871 edidit Ludovicus Adam: idem ille contendit, sed rationibus nisus neque eisdem neque omnibus mihi probatis.

Digitized by Google

Zenodotus expunxisse videtur (cf. schol. Od. p. 217, 26 Df. [1]) scholiasta quidem Harleianus Zenodoto obicit: *ἀναγκαῖον δὲ καὶ αὐτὸν εἶναι διὰ τὸ λέγειν ὕστερον Μενέλαον 'Σὺ δὲ τρίτον ἄνδρ' ὀνόμαζε'*, sed Zenodotus versum aut non invenit in exemplaribus suis aut expunxit quia perperam inlatus ei videbatur. accuratius igitur versum inspiciamus. Proteus Menelao Graecorum fata requirenti num omnes inlaesis navibus in suam quisque patriam reduces facti sint

ἠέ τις ὤλετ' ὀλέθρῳ ἀδευκέι ἧς ἐπὶ νηὸς,
ἠὲ φίλων ἐν χερσὶν, ἐπεὶ πόλεμον τολύπευσεν

cunctatur respondere ne lacrimas ei excitet:

'Ατρείδη, τί με ταῦτα διείρεαι; οὐδέ τί σε χρὴ
ἴδμεναι, οὐδὲ δαῆναι ἐμὸν νόον οὐδέ σέ φημι
δὴν ἄκλαυτον ἔσεσθαι, ἐπὴν εὖ πάντα πύθηαι

sed Menelai interrogatio duos eos viros qui praecipiti morte occubuerant quasi divinatione quadam ita iam indicasse videtur ut Proteus facere non possit quin ei narret quae acciderunt:

πολλοὶ μὲν γὰρ τῶν γε δάμεν, πολλοὶ δὲ λίποντο·
ἀρχοὶ δ' αὖ δύο μοῦνοι 'Αχαιῶν χαλκοχιτώνων
ἐν νόστῳ ἀπόλοντο· μάχῃ δέ τε καὶ σὺ παρῆσθα.

nonne his ultimis verbis luce clarius praedicat, praeter duos illos qui in reditu morte abrepti sint eosque qui pugna occubuerint, alios se non habere quorum fata enumeret? atque optume duorum virorum fata, ab ipso Menelao inscio v. 489 490 iam indicata, nunc narrantur *μέν* (499) et *δέ* (512) particulis divisa, permoleste autem antequam de Aiace refertur, intervenit versus 498:

μάχῃ δέ τε καὶ σὺ παρῆσθα.
εἷς δ' ἔτι που ζωὸς κατερύκεται εὐρέι πόντῳ.
Αἴας μὲν eqs.

repetitus est ex *α* 197: ibi autem optume ambiguo de Ulixe verbo personatus Mentes utitur, ne deum se esse patefaciat: sed quis sanus homo, nedum deus *νημερτής* tam incertis verbis utitur paullo post accuratissime ubi ipse quem dicit viderit narraturus? solus quod sciam Rumpfius in dissertatione supra

---

1) Carnuthius enim in Aristonico suo (p. 49) miro errore Zenodoti sententiam ad versum 499 *Αἴας δὲ* — refert.

Digitized by Google

dicta p. 4 illa ambiguitate offensus est, permire tamen ille etiam versus 553 perambigui illinc excusationem repetens [1]). Ego Zenodotum hunc versum aut non invenisse aut summo iure pro interpolato habuisse censeo: additus est ab eodem homine qui de Ulixis fatis versus 550 sqq. inseruit ideoque omnia mirum in modum turbavit ut cum Telemachia quod accepit carmen iungeret. verum est, versum istum 498 si recte exulare iussimus, reliquos de Ulixe versus non esse quod amplius tuearis: sunt autem et illi miserrime aliunde conflati: nam v. 552 ex eodem unde 498 loco depromptus est, 551. 553 ineptissimos ipse composuit, 555 ad exemplar versus ι 505 finxit, secuntur quinque illi versus de quibus dictum est.

Neque solum pessime consuti versus isti sed inserti quoque pessime sunt carmini nostro [2]): postquam enim Proteus mala quibus Agamemno captus esset enarravit Menelaumque hortatus est, ut quam celerrime domum peteret, ne Orestes ultionem ei praeriperet, secuntur minus apte versus 548 sq.:

ὣς ἔφατ', αὐτὰρ ἐμοὶ κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
αὖτις ἐνὶ στήθεσσι καὶ ἀχνυμένῳ περ ἰάνθη,

tum autem ineptissime postquam fratris mortem audivit et Protei de reditu consilium accepit 550 sq.:

καί μιν φωνήσας ἔπεα πτερόεντα προσηύδων·
τούτους μὲν δὴ οἶδα, σὺ δὲ τρίτον ἄνδρ' ὀνόμαζε.

non mehercules sua caussa putes de Ulixe Menelaum aliis curis multo gravioribus distractum sciscitari, sed ne deficiat quod Telemacho de patre compertum tradat. deinde si quis alius, is versus sutrinam prae se fert quo Ulixem Proteus denotat 555

υἱὸς Λαέρτεω, Ἰθάκῃ ἐνὶ οἰκία ναίων.

---

1) Iocosior Adami ratio est qui (l. c. p. 5) idem versum expellere studet, nimirum: »dici non potuit *εἷς δ' ἔτι που ζωὸς κατερύκεται* quippe cum duo viri fortes, et Ulixes et Menelaus, tum temporis *ζωοί* in mari retinentur.«

2) Videas quam prope Hartel veritatem attigerit cum scriberet (Zeitschr. f. östr. Gymn. 1864, p. 501): und wie mechanisch scheinen nicht einige Verse hineingedichtet, die Telemachos Verlangen befriedigen möchten δ 498. 551—561!

Digitized by Google

in responso tam sollemni Ulixis nomen deesse cui non summam mirationem movet? reperitur autem fere idem versus quo Ulixes Polyphemo quis ipse sit titulorum quadam gravitate usus aperit ι 505:

φάσθαι Ὀδυσσῆα πτολιπόρθιον ἐξαλαῶσαι
υἱὸν Λαέρτεω Ἰθάκῃ ἐνὶ οἰκί' ἔχοντα

ibi etsi accusativo casu versus positus est aliaque structura iunctus, tamen facile episodio Protei potuit adhiberi: qui praecedebat versus quoniam molestus erat et inutilis, eum compilator non potuit non praetermittere ideoque nomine suo Ulixem fraudavit.

Verum aliud est quod interpolatorem etiam aperte monstret: ut enim ille de Ulixe locus cum sequentibus idoneo vinculo non conexus est, ita versus 561 sqq. cum prioribus olim arcte coniuncti fuisse arguuntur. oppositum enim tristibus Agamemnonis fatis illud est: *σοὶ δ' οὐ θέσφατον* et *Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ*. haec quomodo prioribus apte iungantur videbimus, postquam propter summam vetustatis et optumae notae auctoritatem, qua totam hanc de ducibus partem excellere demonstrabo, vel maximi habendum esse illud de Menelao vaticinium comprobaverimus. nam ego quidem non sum ex eis, qui talia ex insulso interpolatoris cuiusdam cerebello prodire posse ducant.

III.

Iure igitur meo supra dixi, de Proteo episodium optume seorsum ab omnibus de Telemacho et Ulixe carminibus posse tractari. quod cum demonstratum sit, priusquam ad narrationes de ducum fatis — quarum de origine certi aliquid me puto invenisse — pertractandas accedamus, totum de Proteo carmen acrius inspiciamus necesse est, ut videamus, praeter illos de Ulixe versus utrum omnes vv. 351—584 ab eadem manu possint profecti esse necne.

Versu 481 Menelaus graviter queritur de remedio quo solo malaciam solvi posse Proteus effatus est:

ὣς ἔφατ', αὐτὰρ ἔμουγε κατεκλάσθη φίλον ἦτορ,

Digitized by Google

οὕνεκά μ' αὖτις[1]) *ἄνωγεν ἐπ' ἠεροειδέα πόντον*
Αἰγυπτόνδ' ἱέναι, δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε.

Protei igitur insula longe remota est ab Aegypto fluvio: at longe aliud statim ab initio (355 sqq.) de Protei insula narratur: esse eam

Αἰγύπτου προπάροιθε, Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσιν,
τόσσον ἄνευθ', ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
ἤνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν.

quinam quaeso fieri potuit, ut qui tot dierum itinera iam perfecit, cui tot dierum itinera perficienda erant ut domum rediret, idem tanta subito maestitia abriperetur, ubi unius diei iter ei imperatur? Quam diversitatem non est quod explices, nisi etiam hanc narrationem non unam et incolumem esse, sed e frustulis aliis alio tempore a diversis hominibus compositis consutam mecum statuas: qui exordium scripsit poeta Aegyptum terram iam novit, remotam illam quidem sed non eam quo Graeci nondum pervenerint: immo Phari insulae nomen non ignorat, quamquam ea quae de situ eius fabulatur nemo hodie erit qui reconditiori cuidam doctrinae cum veteribus (cf. schol. ad *δ* 356 et locos a Forbigero apud Pauly encycl. s. v. collectos) quam inscitiae tribuere malit. Aegyptum igitur terram iam innotuisse poetae dixi: in versibus enim 351 et 355 ut concedo posse dubitari num de illa poeta cogitaverit, ita tamen quem versu 385 Idothea dicit *ἀθάνατος Πρωτεὺς Αἰγύπτιος* ab illo poeta vix dictus fuisse potest nisi qui in Aegypto terra sive natus sit sive moretur[2]).

---

1) Solis hoc versu et 478 (*αὖτις*) et 581 (*ἄψ*) alteram hanc esse Menelai ad Aegyptum fluvium navigationem leviter indicatur: permirum est nil ultra nobis narrari de priore illo tempore Aegyptio, cuius apud Homerum mentiones invenis Telemachiae insertas *γ* 301, *δ* 125 et 228 de donis et hospitalitate qua *Ἀλκάνδρη Πολύβοιο δάμαρ* et *Πολύδαμνα Θῶνος παράκοιτις* Helenam iuverant. hanc rem velim memoria teneas, quippe quam ad totam de Helena Aegyptia fabulam recte explicandam plurimum valere postea patefiat.

2) Quae nominis significatio num vera et vetusta sit, ipsi iudicent qui commentationem meam perlegerint: mihi enim Aegyptius eodem iure dictus videtur quo ab Apollodoro grammatico (II. 1. 5. 4 p. 41 Herch.) inter Aegypti filios et Ister recensetur et ipse

Digitized by Google

Vetustioris autem temporis vestigia habebis postea ubi non solum de loco qui Menelao petendus sit opiniones deprehendes eis quas in exordio legisti multo incertiores, sed etiam *Αἴγυπτον* nomen versibus 477. 483. 581 videbis ad flumen solum referri [1]). accedit quod qui alteram hanc carminis partem composuit, Protei nomen sive ignoravit sive neglexit: prioris igitur partis poeta Menelaum credidit in Pharo insula prope ab Aegypto terra sita a Proteo Aegyptio consilium accepisse, alter de insula quadam cogitavit in medio mari sita, ubi senex quidam marinus non nominatus Menelao suadet, ut Aegyptum fluvium petat, *δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε* Ulixis itineri aerumnoso similem, quo Circe auctore Oceanum longinquum et Ditis portas petebat. Quae cum perpenderis, iam non dubitabis, quin alterius partis fabula vetustior sit, prioris vero multo recentior. nolim tamen inde concludas, Aegyptium quoque Proteum recenti tempore inventum esse, nisus fortasse fabula quae de Proteo Thracii Carpathiive maris daemone ferebatur: ibi enim Proteum antiquitus habitasse narrabant, tum autem ut in Aegyptum abiret a Neptuno patre impetravisse, indignatum eum filiorum pugilum in Thaso insula nimiam adversus peregrinantes superbiam: unde de submarino quodam Aegypti cum Pallene commercio fabulabantur [2]).

Proteus ex Argyphe natus: persaepe autem in mythis fieri ut qui filius alicuius vocatur idem sit atque pater, *ὡς ἐν παρόδῳ* moneo.

1) Longe alia res est ubi Aegyptium nomen ad terram et ad fluvium promiscue relatum vides *ξ* 246 sqq. (id quod Aristonicum non fugit, p. 128 Carnuth: *ὅτι ὁμωνύμως τὸν ποταμὸν καὶ τὴν χώραν*) atque hic ubi primo de terra, deinde de fluvio poeta nomine eo utitur. qui de terra Aegypti nomine abutebantur recentiores poetae Homerici, mirum esset si Nili nomen eisdem ignotum fuisset, quod ab Hesiodo literis primo inductum esse veteres docebant: cf. Aristonic. ad *δ* 477, p. 49 Carnuth.

2) cf. Lycophr. 115—127, ad eumque Tzetzam, in primis ad v. 124, Verg. Georg. IV, 390 sqq., Ov. mett. XI, 249, Dion. perieg. 259, Apollod. II, 5, 9, 14 p. 62 Herch. Conon XXXII. Steph. Byz. s. v. *Καβειρία* et *Τορώνη*. Toronae Proteus ipse maritus erat, filia Cabiro, quae cum Lemnio Volcano Cabiros genuisse ferebatur (Pherecyd. ap. Strab. X, 472 = frg. XXXI Sturzi, cf. Lobecki Aglaophamum II, 1209 sqq. 1250).

Digitized by Google

Nonne tota haec fabula eo consilio inventa videtur ut explicaretur Homeri ille Proteus Aegyptius? Attamen egregie falleretur, qui idcirco non tam e genuina mythi memoria quam e suo ipsius ingenio Aegyptium Proteum poetam Homericum hausisse statueret: gravissimo enim Herodoti testimonio infra comprobari videbimus, in aliis quoque ac vetustissimis carminibus fabulisve de Proteo Aegyptio narrata fuisse Homericis similia quidem sed non congrua: ipse videbis quam bonae notae illud Protei epitheton sit (de quo eorum memineris quae supra p. 16, 2 ad. v. 385 indicavi), quo ornatus erat longe prius quam de Aegypto vel terra vel Nilo Graeci aliquid compertum habuerunt: postea demum cum Aegyptum fluvium caelestem (v. infra) Nilum esse, Aegyptum partem Africae terrae iudicabant, vetere illo epitheto Protei non tam genus significari quam sedem opinari coeperunt, ideoque Proteum in Aegypto terra vicinumve morari statuebant talemque de eius e Thracio mari in Aegyptum migratione fabulam invenerunt. Qua Protei cum Aegypto terra Africae societate apud illum poetam, qui priorem episodii nostri partem composuit, recentius tempus indicatur. itaque magis vetusta et genuinae fabulae vestigia eis insunt, quae de sene marino non nominato in altera episodii parte narrantur: cuius partes has conicias fuisse, ut Menelao erranti viam monstraret, et praediceret, quid ei faciendum esset, ut votorum compos fieret. Dicat fortasse quispiam, abhorrere ab epici carminis natura, talem senem sine nomine auditori lectorive propositum. recte quidem ille: nam haec ipsa causa fuit, cur qui epica forma hanc narrationem induit, cum Proteo illum confunderet. Verum enimvero ‘senem marinum’, non alio eum quidem nuncupatum nomine, a Doriensibus et inter deos cultum et benignum errantibus numen habitum esse, eius rei luculentissimum praesto est testimonium Dionysii Byzantii in periplo Bospori a Weschero hoc ipso anno Parisiis Graece edito p. 19 sq.: *μετὰ δὲ τὸ Ἀρχεῖον πολὺς καὶ εἰς βάθος διερρωγὼς ἀπανίσταται* [scr. *ἐπανίσταται*] *κρημνός· προσπίπτων δὲ τῇ τῆς ἄκρας ὑπεροχῇ πρῶτος ἀθρόαν ἐκ|δέχεται τοῦ πελάγους τὴν ὕβριν, ῥοώδει κοπτόμενος τῇ θαλάσσῃ· κατὰ κορυφὴν δὲ αὐτοῦ Γέρων Ἅλιος ἵδρυται. τοῦτον οἱ μὲν Νηρέα φασὶν, οἱ δὲ Φόρκυν, ἄλλοι*

Digitized by Google

δὲ Πρωτέα, τινὲς δὲ πατέρα Σημύστρας [de qua v. ibid. p. 12]. *οἱ δὲ Ἰάσονι καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ φραστῆρα τοῦ πλοῦ καὶ τῆς ἐκβολῆς τῶν στενῶν ἡγεμόνα γενέσθαι, Λευκία δὲ τοῦ μάντεως τὸ γένος ὄντα· δίδωσι δὲ ὁ χρησμὸς τοῖς ἐπεσσομένοις τῇ γενέσει τῆς ἀποικίας ἐξ ἐνυπνίου φαντασίας προειπόντος, ὡς χρὴ θύειν Ἁλίῳ τῷ* [*τῷ* quippe dittographia ortum delendum] *Γέροντι· καὶ δημοσίᾳ τετίμηται.* qui locus etsi vitiis scatet, quae non habeo quomodo omnia tollam, tamen accuratius intuenti, quid maxime scriptor disputaverit, non videtur incertum esse. postquam enim ea enumeravit quae de numinis illius nomine alii alia suspicati erant eiusque merita erga Argonautas adiecit, procul dubio hoc explicat, qui factum sit ut Byzantii senem marinum sacrificiorum honore prosequerentur. sed in hac loci parte summae difficultates emendaturo ea re obstruuntur, quod ante vv. *Λευκία δὲ τοῦ μ.* manifesto hiatu oratio interrumpitur. itaque hoc unum e verbis dubiis elucet, vatem eum quem Megarensibus coloniam deducturis oraculum ducem dederat, in somnis monitum colonis praecepisse, seni marino ut sacrificia offerrent; hinc Byzantios publice eum colere. Sed redeamus ad partem priorem eamque satis perspicuam. Vides iam antiquitus fuisse, qui numen certo nomine carens ferre non possent eoque alius alio improbabiliora coniectarent: quorum Byzantiis nemo persuasit, neque Homerici carminis auctoritas efficere potuit ut Proteum Nereumve nominarent, quem senem marinum a patribus acceperant. Iam vero vide mihi quanta Byzantiorum fabulae similitudo sit cum Homerica. Etiam ad Bospori oram senex ille marinus Argonautis Colchos vellusque aureum petentibus viam monstravit: atque idem quod noster senex Menelao, Iasoni ille consilium dedit. nam apud Gillium paullo post legitur (p. 27 Wescher) 'circa autem ipsum (prom. Milton) est mare taeniis distinctum et Fanum [cf. infr. p. 29: post Chelas est nuncupatum Hieron (hoc est Fanum) a Phryxo eqs.], cunctum contra frontem Fani Asiatici situm. aiunt hic Iasonem [vatis iussu] litasse duodecim diis' (cf. Polyb. IV, 39). verba uncinis inclusa „vatis iussu" quod Otto Frick (Dionys. Byz. anapl. Bosp. ex Gillio excerptum edid. et ill. O. F. Wesel 1860, p. 29) inseruit, summo ille iure fecit, cum ipse Gillius in libro de Bosporo

Digitized by Google

Thracio III 5 p. 293 scribat „cum D. B. dicat, Iasonem vatis iussu sacrificasse duodecim diis, vatis nomen non explicat“. unde manifestum est in versione Gillium neglegentius omisisse quod in Graeco exemplari se legisse altero loco indicat. Eundem igitur *γέρων ἅλιος* Iasoni se praestitit qualem Menelao Aegyptum petenti. Quid quod eundem senem marinum divinis honoribus affectum videmus a Gytheatis teste Pausania III 21, 8: *ὃν δὲ ὀνομάζουσι Γυθεᾶται γέροντα, οἰκεῖν ἐν θαλάσσῃ φάμενοι, Νηρέα ὄντα εὕρισκον· καί σφισι τοῦ ὀνόματος τούτου παρέσχεν ἀρχὴν Ὅμηρος ἐν Ἰλιάδι ἐν Θέτιδος λόγοις* (Σ 140 sq.)

ὑμεῖς μὲν νῦν δῦτε θαλάσσης εὐρέα πόντον,
ὀψόμεναί τε γέρονθ' ἅλιον καὶ δώματα πατρός.

recte quidem Gaedechens in libro quem de Glauco Pontio scripsit p. 190 sq. inter Homericum locum et Gytheatarum senem marinum re vera nihil interesse contendit, sed neque ille Welckerusve (Götterlehre III, p. 158) recte fecerunt quod Glauci, neque alii (Preller myth. gr. I² p. 433, 3, Schlie de Cypriis Berol. 1874, p. 18, 5) quod Pausaniam secuti Nerei personam in sene illo marino ita latere putabant, ut cum aliqua probabilitatis specie verum eius nomen posset indagari. Immo Dionysius docet *γέροντα ἅλιον* hoc ipso nomine a Megarensibus et Byzantiis dictum esse numen marinum eis benevolum, qui viarum nescii ultimas terras peterent, eundem daemona antiquissimum Gytheatae Lacones colebant. quae cum ita sint nemo iam dubitabit, ubinam eius narrationis, quam ex Odysseae episodio reficere conatus sum, origines quaerendae sint [1]).

---

1) De simili sene marino non nominato addas quod Meinekius in anal. Alexandrinis p. 239 adscripsit scholion ad Apoll. Rh. B 767 (p. 429 11 K.) *ὁ Γλαῦκος παρὰ τοῖς Ἴβηρσι τιμᾶται Γέρων καλούμενος. ἔστι δὲ ἄκρα Γλαύκου ἐκεῖ καλουμένη*, ubi comparato Avieni loco ab ipso Meinekio adlato non dubium est quin *ἄκρα Γέροντος* Welcker (Götterlehre III, p. 158) recte scripserit: eodem enim quo Pausanias Apollonii scholiasta confundendi vitio lapsus est. Nunc autem resuscitata *γέροντος ἁλίου* memoria non diutius haesitabis, quomodo daemon marinus accipiendus sit, qui Herculi cum Marte de Cycno

Digitized by Google

Ceteris igitur episodii partibus eam probavimus esse antiquiorem, ubi neque Proteus nominatur et longum aerumnosumque ad Aegyptium fluvium iter Menelaus facere iubetur, quod in priore parte iam paene perfectum videtur.

Accedunt alia quibus non ab uno eodemque poeta totum hoc episodium inventum esse perspicias. In ea enim parte, ubi senex marinus nondum in insula prope ab Aegypto fluvio sita habitat, ubi nondum Proteus audit, nihil aliud ille dixit quam iter quod ad Aegyptum fluvium Menelao faciendum esset, neque ullum aut de aliis ducibus verbum aut de Menelai ipsius fato vaticinium addidit: itaque quae de ducibus Proteus nunc refert deque ipso Menelao vaticinatur, ut breviter dicam, quasi tertia pars carmini inserta sunt, postquam senex ille marinus proprio nomine egens qui Menelao per medium mare erranti suadet quo naves derigat, et Proteus Aegyptius coniuncti eisque addita sunt quae de Idothea eius filia legimus. neque ego repugnabo si quis versu 488 [1]) adducetur ut totam de ducibus narrationem credat aliunde haustam et ab eodem, qui de fatis Ulixis Proteum vaticinantem introducturus erat ideo interpositam, ne probilitatis fines excedere videretur Proteus de solo Ulixe praedicans: idem fuerit qui pessimos versus 484—491 composuit, idem qui totum de Proteo carmen Odysseae iam fere absolutae inseruit.

Audacius multis videbor iudicasse: ecce quo nitor argumentum: vetustus ille versus 483

Αἴγυπτόνδ' ἰέναι δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε

legitur, postquam Menelaus a Protéo [2]) audivit, quid sibi

---

occiso pugnanti adest inscriptione *ἅλιος γέρων* notatus in vasculo Nolano quod edidit Gerhard AV II, tab. 122. 123, de quo multi dixere praeter Iahnium »Archäol. Aufsätze« p. 128. Münchn. Vasens. p. CXVI, 848. cf. Gaedechens l. c. p. 194 sqq.

1) cf. quae egregie iudicavit Hartel in Austr. gymn. diario 1864 p. 499.

2) Ne mirare, Protei semper nomine me uti etiam ubi certum est, eum, qui primus versum composuit, non de Proteo cogitasse, sed de sene illo marino non nominato. ineptus enim esset qui in carmine tantopere conglutinato et implicato suas utrique partes vel hodie tribuere vellet.

Digitized by Google

faciendum esset ut malacia solveretur: secuntur eius de Aiace et Agamemnone sciscitationes, quae nullo cum prioribus vinculo iunctae sunt 484

ἀλλὰ καὶ ὣς μιν ἔπεσσιν ἀμειβόμενος προσέειπον [1]):

quas posteriore tempore additas esse cum hinc licet suspicari, tum eo mihi persuasissimum fit, quod in Menelai cum Idothea sermonibus qui earum mentionem faciunt versus aperte ab aliquo inlati sunt qui nolebat Idotheam eas reticere. versus dico 391—393

καὶ δέ κέ τοι εἴπῃσι, διοτρεφές, αἴ κ' ἐθέλῃσθα
ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται
οἰχομένοιο σέθεν δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε.

Alioqui Idothea nescit, quocum sermocinetur: 370 *ὦ ξεῖνε* 383 et 399 *ξεῖνε* 423 *ἥρως* eum adpellat. neque ullam de Menelai erroribus notitiam habet, quam solo versu 393 prodit eisdem verbis quae infra v. 483 reperiuntur. accedit quod horum versuum auctor centonarius aperte fuit, neque habuit quo modo quod res postulabat exprimeret: tantum enim Menelaus abest, ut ex Proteo quaerat, quid sibi *ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται*, ut sociorum fata scire cupiat aliorumque qui secum Troiam petierint virorum: sin versus ab eodem qui ceteros composuit poeta profecti essent, nonne mireris, postea cum finiat orationem Idothea eaque repetat quae Menelao e Proteo quaerenda sint, versuum 391—393 causam reticeri, finem autem fieri repetito versu 390:

424 *νόστον θ', ὡς ἐπὶ πόντον ἐλεύσεαι ἰχθυόεντα,*

tum statim sequi eodem loco, quo verba *ὣς ἔφατ'* (394) *ὣς εἰποῦσ'* (425)? nonne interpolatio apertissima [2]) est? neque

---

1) Memineris, eundem fere versum in re simillima *κ* 500 ab Ulixe Circae dici, quare falsus est Nauckius *μύθοισιν δ* 484 nunc scribens.

2) Versus hos in libro qui ex Italia nuper reduci sese obtulit de Odyssea una atque individua ab Eduardo Kammer conscripto nunc video eosdem expulsos (p. 439). utrum alia quoque in illa cum Idothea Menelai sermocinatione insiticia vel mutationibus temptata sint, huc non facit: e. c. versus 379 sqq., quibus non satis aptum est quod Idothea reddit responsum, reperiri moneo in loco idoneo positos 468 sqq.

Digitized by Google

habes a quo eam suspiceris perpetratam nisi ab eo qui narrationem de Aiacis et Agamemnonis fatis carmini adiungere vellet.

Totam igitur de Menelai itinere Aegyptio narrationem iam vidimus

1) seorsum ab omnibus quae Ulixem Telemachumve spectant carminibus esse compositam atque Odysseae iam fere absolutae post Ol. 20 inlatam.

2) duarum de Menelao narrationum, quae nunc quidem firma sutura coactae sunt, diverso tamen tempore semet ortas esse clamant, vestigia prae se ferre.

3) cum tota iam fere absoluta esset, narrationibus de ducum Achivorum fatis esse auctam.

IV.

Nunc narrationes de ducibus accuratius velim mecum perlustres, unde quanti habendum sit quidquid genuini vetustique huic carmini inest, spero iri perspectum: dignissimi enim sunt ad quos acrius animadvertamus versus quibus Agamemnonis mors narratur 512—535, in quibus explicandis Nitzschii ingenium et ipsum desperavit, quamvis pronum ad conciliandum quodcumque sese obtulit vel aliis rebus Homericis vel suis de Homero opinionibus contrarium. Nemo, sicut versus leguntur, quid sibi velint Agamemnonii itineris ambages, quid prior ista Aegisthi mentio v. 518 intelleget. expectamus autem, inde a verbis *ἀλλ' ὅτε δή* (514) poetam causam narrare, cur Agamemno mortem non effugerit. at omnia secus eveniunt: postquam Agamemno a Malea promontorio reiectus est, *ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιήν* defertur, ubi Aegisthus habitat; expectes eum iam moriturum:

ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ κεῖθεν ἐφαίνετο νόστος ἀπήμων,

novumne nunc periculum excipit? minime vero:

ἄψ δὲ θεοὶ οὖρον στρέψαν καὶ οἴκαδ' ἵκοντο.

removetur igitur Agamemno ab Aegistho eiusque sede. nihilo setius paullo post ipse Aegisthus Agamemnoni advenae obviam it eumque salutat.

Digitized by Google

Neque Nitzschii obelis iusta loco medela adhibetur nec Buechneri Bothiique coniectura, qui versus 517. 518 post 519. 520 poni iubebant: mitto male statim repetitum *ἀλλ' ὅτε δή*, sed quonam illi modo explicaverint

οἴκαδ' ἵκοντο
ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιήν —?

immo liquido poeta affirmat, ibi Thyestam antea habitavisse

ὅθι δώματα ναῖε Θυέστης
τὸ πρὶν, ἀτὰρ τότ' ἔναιε Θυεστιάδης Αἴγισθος.

ibine Agamemnonis domus potest esse, quem Homerici poetae non *ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῇ* sedisse consentiebant, sed Mycenis regnasse? addidit Henningsius de Telemachia p. 189 prorsus inutile esse iteratum illud Agamemnonis discrimen, recte ille, etsi in eo peccavit quod spurios iudicavit versus 514—520: „ein rhapsode glaubte vielleicht, eine fahrt von Troia nach Argos müsse jedenfalls mit gefahren verknüpft gewesen sein". mirum profecto rhapsodum et omnis rationis expertem qui e suo cerebro tales nugas geographicas hauserit easque suae aetatis hominibus persuadere conatus sit! ceterum quis toleret versus 512. 513 non statim excipi a contrario? illos quidem versus quos Henningsius eicit, rhapsodus quisquis fuit addere non potuit; potuit autem addere et addidit versus 519. 520, quibus fabulam sibi aliisque iam ignotam consarcinaret cum volgata illa de Agamemnone in ipsa Mycenarum regia ab Aegistho, regno eius et uxore turpiter potito, *λάθρη ἀνωϊστί* trucidato. Quid enim? estne eadem qualem noster poeta tradidit Agamemnonis mors atque ea quam posteri omnes epici poetae et tragici narrabant? Num Clytaemnestram uno verbo tetigit, quam quicumque poetae vel posteri vel ipsi Homerici facinus illud tradunt, turpissimi consilii auctorem semper praedicant? cf. *δ* 92

τείως μοι ἀδελφεὸν ἄλλος ἔπεφνεν
λάθρη ἀνωιστὶ δόλῳ οὐλομένης ἀλόχοιο
γ 235: *ὡς Ἀγαμέμνων*
ὤλεθ' ὑπ' Αἰγίσθοιο δόλῳ καὶ ἧς ἀλόχοιο

α 35 sqq. λ 409. 410. 430 [1]). *ω* 97.

---

1) Media inter nostram fabulam et volgatam ea interest,

Digitized by Google

Accedit quod Aegisthus regem reducem prorsus alio modo hic trucidat: epulae dantur, sociorum manus et mercennariorum quos Aegisthus ad scelus perpetrandum conduxit, conseruntur, omnes moriuntur: inepti enim sunt qui ultimos hos versus 536. 537:

οὐδέ τις Ἀτρείδεω ἑτάρων λίπεθ' οἵ οἱ ἕποντο
οὐδέ τις Αἰγίσθου, ἀλλ' ἔκταθεν ἐν μεγάροισιν

exulare iubent: qui vellem dixissent, a quonam excogitari potuisse crederent. Talem trucidationem utrorumque omnium summae vetustatis indicium prae se ferre nemo negabit similia recordatus quantopere adamentur ab illis qui vetera Germanorum Norrhoenorumque carmina epica composuerint: respicias modo Niflungorum contra Heunos Theodoricumque pugnam non dissimilem: atque fabulam fuisse per hominum ora circumlatam inde colligas quod Pausaniae tempore circa Mycenas sepulcra eorum ostendebantur *ὅσους σὺν Ἀγαμέμνονι ἐπανήκοντας ἐξ Ἰλίου δειπνίσας κατεφόνευσεν Αἴγισθος* (II, 16, 6).

Sunt etiam aliae quaedam nec minoris momenti res quae hanc narrationem singularis originis maximique pretii fragmentum ostendunt: quo enim pacto fit, ut Agamemno cum domum petat, Maleam perveniat, quo promontorio superato salvum se fore sperare videtur?

(514) *ἀλλ' ὅτε δὴ τάχ' ἔμελλε Μαλειάων ὄρος αἰπὺ*
ἵξεσθαι, τότε δή μιν ἀναρπάξασα θύελλα
πόντον ἐπ' ἰχθυόεντα φέρεν μεγάλα στενάχοντα
ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιήν, ὅθι δώματα ναῖε Θυέστης
(518) *τὸ πρίν, ἀτὰρ τότ' ἔναιε Θυεστιάδης Αἴγισθος.*
(521) *ἤτοι ὁ μὲν χαίρων ἐπεβήσατο πατρίδος αἴης*
καὶ κύνει ἁπτόμενος ἣν πατρίδα· πολλὰ δ' ἀπ' αὐτοῦ
δάκρυα θερμὰ χέοντ' ἐπεὶ ἀσπασίως ἴδε γαῖαν.
τὸν δ' ἄρ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδε σκοπὸς eqs.

Permiram hanc Agamemnonis Troia reducis circum

---

cuius vestigia in *νεκυίᾳ* deprehendis v. 409—415, ubi sceleri quidem adest Clytaemnestra coniux, res autem agitur in epulis, ad quas Agamemnonem sociosque Aegisthus advocavit: ibi quoque proelium fit et socii occiduntur. idem est versus λ 411 atque in nostro carmine 535.

Digitized by Google

Maleam navigationem adsit quo explicemus doctum scholion codicum ABI ad Euripidis Orestam v. 46 de loco quo Orestes tragoedia agatur adscriptum: *φανερόν, ὅτι ἐν Ἄργει ὑπόκειται ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος. Ὅμηρος δὲ ἐν Μυκήναις φησὶ τὰ βασίλεια Ἀγαμέμνονος· Στησίχορος δὲ καὶ Σιμωνίδης ἐν Λακεδαιμονίᾳ* (= Stesich. fr. 39. Simon. 207 Bergkii). atque hanc optumae notae esse doctrinam Pindari versibus Pyth. XI, 31 Bergkii comprobatur:

θάνεν μὲν αὐτὸς ἥρως Ἀτρείδας
ἵκων χρόνῳ κλυταῖς ἐν Ἀμύκλαις [1])
μάντιν τ' ὄλεσσε κόραν eqs.

quem locum Boeckhius in nota critica p. 506 aliis illustravit testimoniis de morte Agamemnonis sepulcroque Laconico collectis. conferas etiam qui primus ad Laconicam Pelopidarum sedem animum advertit C. O. Muellerum Orchom. [2] p. 313 Doriens. I [2] p. 94. apponere lubet Pausaniam III, 19, 5 de Amyclis: *καὶ Κλυταιμνήστρας ἐστὶν ἐνταῦθα εἰκὼν καὶ ἄγαλμα Ἀγαμέμνονος νομιζόμενον μνῆμα* et Herodoti testimonium luculentissimum, qui Syagrum Spartanorum legatum contra Persas auxilium petentem Gelonis, reportata tunc apud Himeram victoria clari [2]), dicentem facit tyranno haec plena dolore VII, 159: *ἦ κε μέγ' οἰμώξειεν ὁ Πελοπίδης Ἀγαμέμνων πυθόμενος Σπαρτιήτας τὴν ἡγεμονίην ἀπαραιρῆσθαι ὑπὸ Γέλωνός τε καὶ Συρηκοσίων*: est igitur Spartanis Agamemno quasi deus indiges, cui salus eorum et gloria cordi est, velut lari Romanorum domestico quod intra eam domum, cui ipse praeest generis auctor, boni malique eveniat. non neglegenda testimonia Lycophronis addo, doctis doctioris, 335, ubi Priamum Cassandra ad Agamemnonis aram canit esse occubiturum, 1123 eadem:

---

1) Scholiastae notam huic verbo adscriptam *κατὰ μέν τινας πόλις, κατὰ δέ τινας δῆμος Λακωνικός* similiaque ab Eustathio ad Dionysium 213. 377 tradita nunc missa facio: de quibus equidem non possum quin consentiam cum Francisco Rühl Mus. rh. XXIX, p. 87.

2) Videas quae hoc praesertim loco nisus de tempore legationis Spartanae optume ut solet probavit Adolfus Holm in hist. Sic. I, p. 209 sq. coll. p. 416.

Digitized by Google

ἐμὸς δ' ἀκοίτης δμωίδος νύμφης ἄναξ
Ζεὺς Σπαρτιάταις αἱμύλοις κληθήσεται.

1369 eum vocat

Ζηνὶ τῷ Λαπερσίῳ
δμώνυμος Ζεύς

quibus adscribam Tzetzae verba ad 335: Ἀγαμέμνων δὲ Ζεὺς ἐν Λακεδαίμονι, ἀλλ' οὐκ ἐν Τροίᾳ ἐτιμᾶτο, ad 1124 οἱ Λακεδαιμόνιοι ἱδρύσαντο Ἀγαμέμνονος Διὸς ἱερὸν εἰς τιμὴν τοῦ ἥρωος, ad 1369 Λαπέρσα δῆμος Ἀτακῆς (!), ἔνθα Διὸς Ἀγαμέμνονός ἐσαν ἱερόν. accedat Staphylus apud Clem. Al. protr. p. 32 Pott. Eustath. ad Il. p. 168, 10. [1])

Nulli igitur nunc puto dubium esse quin re vera poeta noster de Agamemnone cogitaverit Lacedaemonem petente, non tam communi ille Ioniorum carminum fonte usus quam narrationibus quae apud Dorienses omnes ipsosque Spartanos circumferebantur Stesichoro non ignotis. Apud quem vide quam feliciter conveniat quod similia narrata fuerunt. receptis enim fabulis epico carmine non celebratis multa Stesichorum novasse omnes consentiunt. Atque velut Laconicam originem ostendunt quas ille [2]) cecinit Helenae et Menelai nuptiae, prioribus poetis nunquam celebratae [3]), itidem Laconicam de Helena in Aegyptum translata fabu-

---

1) Etiam Clazomenis Agamemnonem divino honore cultum esse testis est Pausanias VII. 5. 11. contra Prellerum, qui (myth. gr. II² p. 457, 1) de Agamemnonis cultu quae traduntur parum aestimavit, videas quae dixit Augustus Baumeister in commentatione de Euboea insula Lubecae edita anno 1864 p. 47, 26, ubi aliud de Agamemnone protraxit Hesychi testimonium obscurum quidem, sed minime neglegendum: Ἀγαμεμνόνια φρέατα· ἱστοροῦσι τὸν Ἀγαμέμνονα περὶ τὴν Αὐλίδα καὶ πολλαχοῦ τῆς Ἑλλάδος φρέατα ὀρύξαι. cf. Zenob. prov. I, 6 Eust. ad Il. Δ 71 p. 461,15 et Bursianum G. v. G. I, p. 218.

2) Stesich. fr. 27 Bergkii quocum e. c. conferas Pindari verba Pyth IX. 123 Bergkii.

3) priores istas nuptias poetarum potius inventum esse quam propriam et genuinam fabulam, quae sero ad Iones Atticosque pervenerit, inde colligas, quod in una sola lecytho Armentana nunc Berolinensi 851, quam Millingen anc. uned. mon. I. tab. XXXII edi-

Digitized by Google

lam literis induxit, eamque ut cum Troica coniungeret, operam dedit (v. infra). quae cum ita sint, eis quoque quae de Agamemnonis morte Proteus refert, a volgari fabula discrepantia, prorsus non dubitabis quin poeta Homericus Doriensium narrationes expresserit. Atque eandem originem quod de Menelai vita beata Proteus edit vaticinium indicat. Vim autem quanta ei insit ut recte perspiciamus, necesse est perpendamus muneris diversitatem, quo uterque frater olim fungebatur. Itaque vide quae accurata Iliadis lectione efficiuntur: poetis enim vetustissimis Menelaus Helenae maritus est Agamemnonis frater: ne unus quidem praeter eos poetas qui navium catalogum et res in ipsa urbe Troiana gestas ac foedus ictum ruptumque (*Γ—Z* excepta quam vocant *Διομήδους ἀριστεία*), quas Alexandreae nomine apte comprehendas, recentiore sine dubio tempore composuerunt, Menelaum sciebat regem esse Spartanum, neque de patria eius Spartana eis poetis quidquam constabat neque de Helena eius uxore Lacedaemone rapta: recenti demum tempore postquam epicorum poetarum consensu quas de Helena rapta ac recuperata alii alibi narrabant fabulae ita coactae sunt, ut de Helena Lacedaemone rapta nemo iam dubitaret, Lacedaemonius etiam Menelaus rex factus est. Agamemno secundum vetustissimos illos Iliadis poetas Ionia ortos Mycenis regnabat (*H.* 180 *Λ.* 46); quod regnum qui non *ὡς οἱ νεώτεροι* Argis collocabant (cf. schol *Λ.* 46, Lehrs Ar. p. 177)

dit, pictor quidam saeculi quarti ineuntis Menelaum (ΜΕΝΕΛΕ hodie legitur) imberbem, qui Helenam sponsam manu arreptam ducit, repraesentavit. aliae quibus illas nuptias pictor aliquis aut sculptor Graecus Romanusve effinxerit imagines non extant. neque enim video cur lecytho Berolinensi calpin Volcentanam comparent nunc Monacensem 283, editam post Mon. dell'Ist. I. tab. 27, 26 a Gerhardo AV III, 169 Overbeckio HG. XII 4, ubi vir quidam barbatus et armatus sponsam quae in sinistra malum cydonium tenet nuptiali more (cf. e. c. Mon. dell'Ist. VIII 35, Brunnium Troische Miscellen p. 48) domum ducit ad veterem raptus morem (cf. pateram Berolinensem Hieronis apud Gerhard Trinksch. u. Gef. XI. XII). omni autem iusta causa carent Menelai et Helenae nomina, quae eis imposuerunt Gerhard (rapp. volc. 415. AV. III, p. 55) et Overbeck (HG. p. 262, 3) cf. Stephanium in »Compte-rendu pour 1861« p. 72, 3.

Digitized by Google

poetae, a paterna Diomedis Argivae terrae potestate mira sane partitione admissa separabant (*B.* 559—581. cf. *Δ.* 376 sqq.). De Menelao autem non sanguinis solum, sed loci quoque societate cum fratre semper coniuncto ne posteris quidem umquam evanuit memoria, cum de Menelao iam Lacedaemonio Argivo Agamemnone dubitationem epicorum poetarum concentus sustulisset: nemo erat qui non putaret Menelaum eodem tandem pervenisse ubi Agamemno crudeli morte abreptus erat, sive Mycenis Argisve id fuit sive Amyclis. Agamemno rex est opibus clarus, Menelaus divae Helenae maritus, qui uxorem sibi raptam non recuperabit, nisi adiutor ei existet frater regno pollens et potentia: frater munere hoc functus praecipiti morte occumbit, Menelaus non solum Helenam recuperat, sed divinis quoque honoribus affectus vitae beatae compos fit: [1])

(561) *σοὶ δ' οὐ θέσφατόν ἐστι, διοτρεφὲς ὦ Μενέλαε*
Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ [2]) *θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν,*
ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανδὸς Ῥαθάμανθυς,
τῇπερ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν·
οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ χειμὼν πολὺς οὔτε ποτ' ὄμβρος,
ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγὺ πνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους,
οὕνεκ' ἔχεις Ἑλένην καί σφιν γαμβρὸς Διός ἐσσι.

Viri fortes quod hoc loco post mortem in Elysios campos transferri dicuntur verum est abhorrere a consuetudine carminum Homericorum Ionia patria prognatorum, sed temere egisse qui hos versus expulerint perspecta singulari quae toti huic parti inest doctrina et origine quis non concedat? merito haereas si apud Ionium poetam talia inveneris, immerito si apud Doriensem. Doriensium enim habes in hisce certum religionis vestigium. Et omnia quidem de Me-

---

1) nolim audacior fieri: relego autem quibus iniusta haec sortis immutatio admirationem movet ad ea quae similia composuit Georgius Gerland in libello cui inscripsit: Altgriechische Mährchen in der Odyssee. Magdeburg 1869 p. 28—32, in primis p. 30.

2) de Argis pro tota Peloponneso dictis videas quae Lehrs Ar. p. 227 sq. composuit veterum testimonia.

Digitized by Google

nelai Helenaeque apud Spartanos cultu divino quae mihi praesto sunt testimonia nunc nolo proferre, Isocratem nominasse satis esto Hel. 63 Pausaniam III. 19,9 Rossium Archaeol. Aufs. II. p. 342 sqq.

Restant ut expediantur quae de ipsa Agamemnonis morte legimus, singularia ille et ab eis quae alii poetae narrabant, prorsus dissimilia. quam vetustam certe et genuinam fabulam esse trucidatione illa qua omnes occubuerunt et Agamemnonis socii et Aegisthi probavimus: Agamemnó Maleam petit quo loco superato salvatum se fore sperat, domus autem Aegisthi extra Maleam est:

ἀλλ' ὅτε δὴ τάχ' ἔμελλε Μαλειάων ὄρος αἰπὺ
ἵξεσθαι, τότε δή μιν ἀναρπάξασα θύελλα
πόντον ἐπ' ἰχθυόεντα φέρεν μεγάλα στενάχοντα
ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιήν, ὅθι δώματα ναῖε Θυέστης
τὸ πρίν, ἀτὰρ τότ' ἔναιε Θυεστιάδης Αἴγισθος.

Aegisthus igitur quem alii tradunt omnes in regia ipsa sedisse, remotus ab ea in litoris Laconici (gaudet enim Agamemno patriam tellurem revisendo) secessu habitat Aegaeum (siquidem extra Maleam situs est) mare spectanti moratur: de custode enim dicitur v. 526

φύλασσε δ' ὅ γ' εἰς ἐνιαυτόν,
μή ἑ λάθοι παριών,

unde id quoque videmus Agamemnonem illam litoris partem non petiisse, sed invitum eo adpulsum esse. Ubinam fuerit ista Aegisthi habitatio poeta non prodit: Andro, qui nostros interpretes omnes eo superavit quod locum Maleae vicinum certe intellexit, de Cytheris cogitavit (schol. HP ad δ 517) quod falsum esse versibus 521 sqq. demonstratur. Moratur autem ibi Aegisthus, privatus potius, ut videtur, quam regno Lacedaemonio potitus: en causam, cur ultionis diem gaudeat venisse, quo Agamemno una navi redux, expers suspicionis, inermis fere in manus ei inciderit antequam denuo regiam potestatem et auctoritatem adeptus vires resumat, *μνήσαιτο δὲ θούριδος ἀλκῆς*. id enim poeta non curat, aut quidnam Aegisthus facturus fuerit si Agamemno feliciter domum revertisset, aut cur custodiri eum iusserit quem expectare non poterat casu tam miro in plagas suas esse incasurum,

Digitized by Google

nugasve alias: satis est laetari Aegisthum, qui Agamemnoni ὕποπτος ἐχθρὸς ἦν παλαιγενής (Aesch. Ag. 1606 H.), adesse occasionem Atrei istius filium trucidandi, qui Thyestae patri diris quondam epulis paratis hunc ipsum cum filio Aegistho in solitudines remotas relegaverit [1]). Neque praeterea Clytaemnestrae ullam fieri mentionem non est quod adeo miremur: eam enim Argivi potius quam Spartani coluisse videntur et habuisse pro Tyndarei filia, neque tam eius amore quam ultionis studio Aegisthus apud nostrum commotus Agamemnoni mortem parat.

Nunc ipse videsis, narrationi tot rerum singularium plenae quam inepte intrusi sint versus 519. 520, compositi illi ab homine qui omnia haec coniungere studuit cum volgari quae ferebatur opinione, domi in ipsa regia regem ab Aegistho trucidatum esse. accedit parum apte illa oratio uno verbo οἴκαδ' ἵκοντο in pluralem numerum conversa, cum quae antecedunt et secuntur, de uno omnia rege dicta sint. optume autem funestum nomen τότ' ἔναιε Θυεστιάδης Αἴγισθος statim excipi a versu 521

ἤτοι ὁ μὲν χαίρων ἐπεβήσατο πατρίδος αἴης

vix opus est memorari.

V.

Doricam igitur vidimus quae de Agamemnone et Menelao narrantur redolere originem volgaris carminis epici auctoritate nondum omnino fuscatam. Et continentur quidem haec de ducibus narrata versibus 492—497. 499—518. 521—537. 561—569. Inseruit autem eos carmini, quo Proteum Menelaus de itinere rogabat idem fortasse qui Ulixis fata cum

---

1) de Aegistho, quem Thyestes ex ipsa filia progenuit responso Apollinis accepto ut vindicem nanciscereturqui Atreum necaret, de Thyesta et Aegistho exule videas Aegisthi ipsius orationem qua Atrei scelera enarrat et semet omni caedis culpa liberare studet apud Aeschylum Ag. 1545—1579 Herm. in primis v. 1573, 1574. cf. Hygin. fab. 87, 88. schol. Eur. Or. A. ad 812 Serv. ad Aen. XI. 262, alios.

Digitized by Google

hac sciscitatione iungebat, cui gratiam nos habere debemus quod haece frustula pretiosissima servavit, neque irasci si quod ipse fecit inepte fecit. et dictum quidem est de versibus 391—393. 484—491. 498. 519. 520. 550—560. restant qui molestissimi intercedunt inter vaticinium Menelao datum clademque Agamemnoniam versus 538—549. optume omnia se haberent si versus 542 a versu 560 exciperetur, versus 569 a versu 548: tum enim minus inlepida essent verba Menelai, qui primum stragem domesticam, tum suam ipsius beatitudinem futuram accepisset:

ὣς ἔφατ' · αὐτὰρ ἐμοὶ κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
αὖτις ἐνὶ στήθεσσι, καὶ ἀχνυμένῳ περ, ἰάνθη

quae de ultionis gaudio equidem intellegere non ausim. Insunt tamen huic parti difficultates quas omnes non habeo quo modo expediam. atque relinquo quoniam qui eam toti de Proteo carmini adiunxerint, alia omisisse videantur, alia in eorum locum ita addidisse, ut parum cautus esset qui eam dissolvere vellet. memineris autem, versus 570—576 eosdem esse atque 425—431, versus 538—541 eosdem ac κ 496—499, quos ibi ille versus excipit, cuius umbram mihi videor deprehendisse (supra p. 22, 1) versu 484, versus autem 481 idem qui 538

ὣς ἔφατ', αὐτὰρ ἔμοιγε κατεκλάσθη φίλον ἦτορ

in vetustissima illa quam supra intelleximus ipsius sciscitationis parte profertur a Menelao, cum prorsus eodem longi itineris dolore abreptus sit quo Ulixes percutitur κ 496. nec te fugerint quae alia nostro carmini cum eis quae de Circe narrantur sunt similia. Nam cum Idothea Menelaum ad Proteum releget v. 389. 390 his verbis:

ὅς κέν τοι εἴπῃσιν ὁδὸν καὶ μέτρα κελεύθου
νόστον θ' ὡς ἐπὶ πόντον ἐλεύσεαι ἰχθυόεντα

eadem leguntur κ 539. 540, a Circe Ulixi de Tiresia dicta: id autem memorabile, quod in utroque loco his verbis finitur oratio, quippe cum versus δ 391—393 interpolatoris sint (v. s. p. 23.). Quid igitur? nonne etiam simili quo Circe munere Idothea fungitur? nonne et ipsa adest ut viro, qui in insula ubi ipsa moratur aliquod tempus retentus fuerit, benigne viam monstret, qua aerumnarum finem sit adsecu-

Digitized by Google

turus? verum est, in eo nunc differre ambas mulieres, quod nihil mali Idotheae inesse videtur grato quodam suavique a nostro poeta depictae colore, atque tali ut Nausicaae memoriam nobis excitet, sed aliam olim eam fuisse ipsum eius nomen monstrat: rectissime enim Pottius in Kuhnii diario VI p. 116 reiecta scholiastae ad δ 366 explicatione ἀπὸ τῆς εἰδήσεως καὶ ἐπιστήμης τοῦ πατρὸς τὸ ὄνομα omnibus accepta nomen Idotheae formarum deam „gestaltengöttin" interpretatur, atque in eandem fere explicationem Welckerus incidit, qui (Götterlehre I p. 649) dixit: „Proteus hat zur tochter Εἰδοθέη mit bezug auf die gestalten die er annimmt, wie Thetis bei Sophocles παντόμορφος genannt wird. Der name ist gebildet nach Λευκοθέα u. a." itidem Prellerus (myth. gr. I² p. 477). Quod si Idothea olim non alios homines Circae modo sed semet ipsa variabat mortales viros fugitura, eius rei sane in nostro carmine nec vola nec vestigium est; neque vero id mirum, quando quidem illius vicem Proteus pater suscepit. eadem autem prorsus qua Circen eiusque ut ita dicam [1]) sororem Medeam illam fuisse saevitia animoque ad quaelibet infesta prono nisi fortior quis eam superavisset, e narratione de Phineo et Phinidis sumas, quae eandem quam Circe Argonauticarum fabularum originem redolet: novercam enim, Phinidarum caecitatis auctorem, quam Apollonii scholiasta II 207 p. 400 K. Σκυθικὴν γυναῖκα vocat, Idaeam ad eundem

1) Cf. Kirchhoff de compositione Odysseae p. 84: »die böse zauberin Kirke, die schwester des Aeetes, ist ein augenfälliges seitenstück zu ihrer nichte Medea, welche in der Argonautensage eine so hervorragende rolle spielt« quibus verbis non inest quod inesse voluit Gerland l. c. p. 37: »Kirchhoff meint nun, dass Kirke weiter nichts sei, als eine nachahmung und wiederspiegelung der Medea.» Kirchhoffius id solum ostendit, eum poetam qui Circen libris κ—μ intulit quaesivisse quam Medeae introduceret similem mulierem, quam confictam esse ab illo poeta longe aberat ut putaret, quamquam Heimreichio quoque (l. d. p. 19) id videtur contendisse. videsis autem Gerlandi de Circe verbis ceterum rectissimis quam mire alius vir quidam doctus abusus sit, qui inde iure suo id colligere sibi visus est, nullam intercedere inter Odysseae libros quales nos legimus κ—μ et Argonautica rationem (Zeitschr. f. Völkerpsychol. u. Sprachw. VII. p. 85).

Digitized by Google

Apollonium scholiasta p. 399 Diodorus IV, 43 Apollodorus III 15, 3 p. 122 Herch., Eurytiam Asclepiades Tragilensis apud schol. μ 69 p. 534 Df. (= F H G III 302), eandem scholiasta Soph. Antig. 980 narrat fuisse qui Cadmi sororem Idotheam appellarent: id quod optumae notae esse apparet. nec neglegendum est Phineum Idotheae maritum fuisse, qui Argonautis eodem modo quo Circe Ulixi, Idothea Proteusve Menelao viam indicavit qua symplegadas transirent (cf. e. c. Asclepiadem l. s. s. et Hyginum fab. XIX), quae eis obstabant [1]), quominus eo pervenirent unde vellus aureum devecturi erant. Addendum est Zenodotum pro Idotheae nomine scripsisse *Εὐρυνόμη* (Aristonic. rell. ed. Carnuth p. 46 ad δ 366) suorum sine dubio exemplarium fidem secutum: quibus hae res curae sunt Pausaniam videant VIII, 41, 6, qui de Eurynomae deae Oceani filiae apud Phigaleenses delubro et simulacro res narrat singulares: *τὴν δὲ Εὐρυνόμην ὁ μὲν τῶν Φιγαλέων δῆμος ἐπίκλησιν εἶναι πεπίστευκεν Ἀρτέμιδος· ὅσοι δὲ αὐτῶν παρειλήφασιν ὑπομνήματα ἀρχαῖα, θυγατέρα Ὠκεανοῦ φασιν εἶναι τὴν Εὐρυνόμην* (etiam Calypso Oceani filia, Sirenes Acheloi, Idothea autem Protei Aegyptii habebatur), *ἧς δὴ καὶ Ὅμηρος ἐν Ἰλιάδι ἐποιήσατο μνήμην* [Σ 398 sqq., 405], *ὡς ὁμοῦ Θέτιδι ὑποδέξαιτο Ἥφαιστον.* tum narrat certo quodam die, quando sacra deae agantur, delubrum apertum esse, cum tamen ipse tunc temporis non adfuerit, referre se quae de simulacro a Phigaleensibus acceperit: *χρυσαῖ τε τὸ ξόανον συνδέουσιν ἁλύσεις, καὶ εἰκὼν γυναικὸς τὰ ἄχρι τῶν γλουτῶν, τὸ ἀπὸ τούτου δέ ἐστιν ἰχθύς.* desinit in piscem mulier formosa superne: idque cui non cogitationem iniciet cum de Diana illa quae feminarum vitae mortique praeest, tum de Sirenibus Acheloi filiabus (Apoll. Rh. IV 893 sqq. Apollod. I. 3, 4 p. 7 Herch. Serv. ad Verg. Georg. I 9), de Harpyiis de Gello aliis numinibus, quae ut eis hominibus a quibus placantur, benigna sunt, ita in universum infestum animum gerere videntur cum ad inferos animas deportent, ideoque ipsa pro mortis signo habentur [2]).

---

1) cf. Gerland l. c. p. 40 sq. 44.

2) videas quae de eis contulerunt O. Jahn Archaeol. Beitr. p. 101 sqq. E. Curtius Arch. Z. 1855 p. 6 sqq. Schrader de Sireni-

Digitized by Google

Sed satis esto de Idothea: quae iam puto neminem dubitaturum quin numen olim fuerit infestum et Proteo patri et Circae simillimum. nectamen casu factum est ut in nostro carmine partes agat tam singulares Menelaoque amicas. Qua re altius nobis penetrandum erit: vetustam enim fabulam similem quidem sed paullulum ab ea qualem noster poeta tradidit discrepantem fuisse duco. Duas supra vidimus in unam coactas esse fabulas: in altera — cuius vestigia inde fere duco ab interpolatore lecta esse ubi narratis Protei mutationibus ipse deus marinus effari incipit — Menelaus ad senem quendam marinum non nominatum, qui in insula ab Aegypto fluvio longe remota habitabat pervenisse ferebatur; ille qui nescitur num variis formis olim se induerit et a Menelao vi superatus sit, longum ei ad Aegyptum fluvium iter faciendum esse praedixit, ibi deos sacrificiis placandos,

---

bus p. 38. 86 sqq. Usener Mus. rh. XXIII. p. 354, 120 Conze 'über griech. Grabreliefs' (in actis acad. Vindob. 1872) p. 17 coll. tab. II. 2. F. Cerquand études de mythologie grecque Paris 1873 pl. II. coll. p. 141—148. scarabaeum in sepulcro Clusino nuper repertum, cui Harpyia incisa est quae infantem simili quo in Xanthio monumento modo amplexa tenet, Florentiae vidi in museo Etrusco cf. Gamurrinium apud Conestabile 'sovra due dischi in bronzo' [Mem. d. Accadem. d. sc. di Torino 1874] p. 86. Atque de Harpyiis cum cogites, non potes quin Boream eiusque filios in beata Hyperboreorum, optimorum hominum, insula Apollini sacra, leni regimine regnare (Diod. II. 47) memineris — quo etiam Iphigeniam a Diana delatam esse fuerunt qui crederent: schol. Eur. Or. 658 —, eosdem, qui tot virginibus puerisque iuventute et pulcritudine claris vitam dempsisse a Graecis credebantur. Illi enim amoeno quo erant ingenio, qui praematura morte occubuissent, abreptos sibi persuaserant a numinibus non tam infestis, quam invidis et pulcritudinis amore captis, ideoque amoris imaginem morti subiciebant: inde fit, ut in nitidissima, quam Dumont nuper publici iuris fecit (Gaz. d. b. arts 1874 p. 132), lecytho Attica Boream videamus una cum Amore in operis societatem accito puellam in sepulcro condentem, inde, ut sub raptus nuptialis imagine virgines conspiciamus vel ab Amore ipso vel a Borea delatas (videas quae composui in commentationibus a soc. philol. Bonnensi anno superiore editis p. 106 sq.); sic Hylan Nymphae, sic apud hodiernos Siculos et Graecos Neraides pueros puellasque auferunt forma insignes.

Digitized by Google

tum demum reditum ei fore. in altera vero narratione Menelaus in insulam prope ab Aegypto depulsus ab Idothea Protei filia commonefactus patrem adit, quem poeta versu 385 ipsum vocat Aegyptium: insula igitur in qua Proteus apud nostrum moratur, fluxit videlicet ex memoria lucidae illius insulae, ubi Idotheam olim Circae more solam morari fuerint qui crederent: mutationes autem, quibus praedicit fore ut pater Menelaum effugere studeat, ipsius sine dubio feminae antea fuerant: ipsaque cum Menelao victore suo amica consilia communicaverat. atque redolent hae mutationes v. 417. 418 relatae vetustiorem eis quas re vera Proteus subiisse v. 456—458 narratur aetatem: irrepsit igitur hic pro Idothea Proteus.

Mittamus vero hac de re suspiciones inutiles: tota enim quae nobis de Idothea servata est narratio tam ad ea quae secuntur praeparanda quam ad fabulae de Circe similitudinem conformata hodie legitur ita ut parum cautus foret qui certiora eius formae quali olim fuerit indicia rimari vellet.

VI.

Aegyptium antiquitus fuisse Proteum comprobari supra (p. 18) diximus luculentissimo Herodoti testimonio. eius enim narratione quaecunque de totius fabulae natura et pristina forma remanserint dubia tolluntur. hausta autem sunt quae ille II 112 sqq. tradidit ab Aegyptio quodam sacerdote, ut ipse narrat, accepta, e vetusto fabularum fonte limpido et mero, unde optumum nostra de Menelai ad Proteum itinere opinio supplementum accipit: Alexandrum ille narrat cum Helena rapta reducem procellis ad Aegyptum depulsum esse, ibique a servis nonnullis proditum quippe qui hospitis uxorem secum abduceret. quod cum Proteo, qui Memphi regnaret, a Thone quem Canobico ostio rex praefecerat, nuntiatum esset, illum imperavisse ut advena Memphin duceretur: tum quaesivisse Proteum de Helena unde secum haberet, infitiantem autem testibus adductis arguisse eum quidem, sed hospitem non punivisse, quippe qui verecundus homo esset ac religiosus, Helenam vero et opes ex Sparta abductas ademisse raptori: *ἀλλ' αὐτὰ ἐγὼ τῷ Ἕλληνι ξείνῳ φυλάξω, ἐς ὃ ἂν αὐτὸς*

Digitized by Google

ἐλθὼν ἐκεῖνος ἀπαγαγέσθαι ἐθέλῃ. Alexandrum autem iussu regis domum abiisse. deinde obsedisse quidem Graecos Ilion urbem Helenamque expostulasse, Ilienses vero negasse semet Helenam umquam vidisse, posteaque capta urbe eam re vera non esse repertam quippe in Aegypto relictam: tum Menelaum ad Proteum pervenisse, repperisse ibi Helenam, atque ab eo et ipsam accepisse et opes multas hospitaliaque dona. tum vero malacia facta nefasti aliquid Menelaum perpetravisse ideoque *μισηθείς τε καὶ διωκόμενος ᾤχετο φεύγων τῇσι νηυσὶ ἐπὶ Λιβύης.*

In Aegypto igitur Helenam latuisse, inde a Menelao recuperatam esse fuerunt qui traderent. quam narrationem cum epicis fabulis artis vinculis cohaerere in propatulo est: duas enim fabulas de Helena ab Alexandro Troiam abducta epicam Ionicamque alteram, alteram de Helena a Menelao ex Aegypto redempta Doricam mirum in modum ab Herodoto conflatas habemus. Neque sciremus qua ratione dissolvenda esset a priore altera, nisi Euripides nos doceret, qui in Helena sua componenda vetustas narrationes Spartanas et ipse secutus (quonam consilio ductus hoc fecerit, nunc longum est ostendere) Mercuri memoriam nobis servavit, quem sine dubio Lacedaemonii credebant a Iove iussum per aera et nubila Helenam rapuisse et in Aegyptum transtulisse v. 44 sqq.:

λαβὼν δέ μ' Ἑρμῆς ἐν πτυχαῖσιν αἰθέρος
νεφέλῃ καλύψας — οὐ γὰρ ἠμέλησέ μου
Ζεύς — τόνδ' ἐς οἶκον Πρωτέως ἱδρύσατο,
πάντων προκρίνας σωφρονέστατον βροτῶν
ἀκέραιον ὡς σώσαιμι Μενελέῳ λέχος.

cf. Electr. 1280 sqq. et Usenerum mus. rh. XXIII. p. 356, 122.

Alia vero quibus pristina et propria mythi forma cognoscatur, ex Euripide capias haud ita multa, quippe cuius fabula inclutum istud verae Helenae simulacrum cum Troica coniungat, quod ad exemplum Ixionis a Iunone Alexandro datum esse primus finxit Stesichorus cf. Plato reip. IX 586 C: *ὥσπερ τὸ τῆς Ἑλένης εἴδωλον ὑπὸ τῶν ἐν Τροίᾳ Στησίχορός φησι γενέσθαι περιμάχητον ἀγνοίᾳ τοῦ ἀληθοῦς.* schol. Paris. ad Lycophr. 822 apud Bachmann. Anecd. II p. 247 et in Lycophronis editione, ubi pro *παρὰ περί* editor scripsit, *πρῶτος Ἡσίοδος παρὰ*

Digitized by Google

τῆς Ἑλένης τὸ εἴδωλον παρήγαγε quod inter falsa Hesiodia Marckscheffel rettulit (p. CCLXXV) et contra Goettlingium Bergkiumque Stesichori nomen recte restituit. Geel apud von Hoff, de mytho Helenae Euripidiae Lugd. Bat. 1843 p. 79 locum scripsit πρῶτος Στησίχορος περὶ τῆς Ἑλένης λέγων παρήγαγε τὸ εἴδωλον. particula illa sive παρά sive περί deleta locus recte se habere videtur Buechelero. alia testimonia contulit Bergk P L G p. 981. Stesichorus autem num et ipse veram Helenam in Aegyptum translatam, inde a Menelao recuperatam cecinerit quamquam nescimus, tamen non video quo alio modo palinodiae versus celeberrimos

οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος,
οὐδ' ἔβας ἐν ναυσὶν ἐυσσέλμοις
οὐδ' ἵκεο πέργαμα Τροίας

explicemus. Etenim simulacrum Stesichorus invenit, quode pugnaverint Achivi et Troes: abducta ergo erat etiam vera Helena, cum Achivi eam recuperare vellent. Welcker olim de angulo quodam Laconiae cogitavit, ubi abdita fuisset, quod non vereor ne quis credat: commotus ille erat sine dubio veterum testimoniis, quale est Dionis Chrysostomi I. p. 178, 12. Dind. καὶ τὸν μὲν Στησίχορον ἐν τῇ ὕστερον ᾠδῇ λέγειν, ὅτι τὸ παράπαν οὐδὲ πλεύσειεν ἡ Ἑλένη οὐδαμόσε, quae aperte e solis Stesichori verbis apud Platonem servatis Dio sublegit: rectissime von Hoff in libello s. s. p. 34 id contendit, et quo modo apud Euripidem Helena a Mercurio de medio sublata sit, in memoriam revocavit: addere potu.t Iphigeniam a Diana nube involutam in Tauricam regionem avectam: sollemnis veteribus fama erat, si quis subito non comparuisset, per aerem a ventis vel Mercurio (e. c. cf. h. Hom. in Ven. 117 coll. Π. 181 sqq.) eum sublatum esse. cf. O. Jahn Archaeol. Beitr. p. 102 cum notis 33, 34, 37. v. s. p. 34, 2. Simili autem modo apud Stesichorum Helenam avectam esse probabile fit imitatione Euripidis, qui simulacrum inde sumpsit: Aegyptum vero ubi abderetur Helena concedo Euripidem fingere potuisse Herodotum et Homerum solos secutum, cum Proteum regem benevolum, Ido filiam praesagam induceret. difficilis enim de Stesichoro quaestio nobis nunc restat: supra cum videremus Spartanam originem redolere quam in Home-

Digitized by Google

rico de Proteo carmine legimus narrationem de Menelai et Agamemnonis fatis, itidem Stesichorum monui regiam Agamemnonis Lacedaemoni conlocasse, et alia quoque hausisse e fabulis quae apud Spartanos circumferebantur: itaque in promptu esset coniectura, Helenae famae faventem Stesichorum, quodque Doriensibus sine dubio magis erat acceptum, invitam Helenam fecisse in Aegyptum delatam, ibi Menelao adservatam, inde a marito abductam, nisi speciosa Hermanni opinio obstaret, in praefatione ad Eur. Hel. p. IX prolata. ille enim collato Pausania III. 19, 11 de Leuce insula cogitavit in quam Stesichorus Helenam abditam fecerit, quae coniectura firmari multis videbitur ingenioso Holmii invento, qui (hist. Sic. I. p. 166, 167) caecitatis fabula summo iure prorsus neglecta „Helenam" carmen choricum fuisse opinatus est — sicut alia eiusdem carmina festis diebus apud Graecos Siculosque cantabantur — in honorem pugnae Sagrensis Castorumque σωτήρων iussu Locrensium a Stesichoro (cui artissima semper cum Locrensibus ratio intercedebat ipsi fere Locrensi) iam grandaevo compositum. Quocum optume convenirent et temporis ratio et laudes Castorum (cf. Horat. epod. XVII 42 sqq.) et sororis. nam etiamsi ab Aiace Oilei Pausanias et Conon Leonymum vel Autoleontem narrant volneratum, tamen non defuerunt, qui Castores ipsos — quos non minore quam Aiacem apud Locrenses honore valuisse nummi docent — Locrensibus adfuisse et hosti volnus intulisse traderent: cf. schol. Plat. Phaedr. 243 A cum fabulis de Phormione Crotoniata narratis, quas collegit Meineke FCG II. 1227 sqq.

Sed tamen licet adsit verisimilitas, vereor ne parum recte haec disputata sint. Essent vera, si constaret Stesichorum in Helena sua cecinisse, a Leonymo vel quovis alio Helenam se audivisse in Leuce insula cum Achille Aiace aliis coniunctam vitam beatam degere: falsum igitur se fuisse cum Troiam cecinerit Helenam esse profectam: immo cum subito evanuisset, in Leucen insulam eam abreptam nec revertisse umquam. At Platonis tempore nondum omnibus nota erat quam Pausanias tradit fabula Crotoniatarum et Himerensium, Stesichorum ab alio quodam de Helena in Leuce insula adhuc viva certiorem factum esse; haec enim Plato (Phaedr. 243

Digitized by Google

A): *ἅτε μουσικὸς ὢν ἔγνω τὴν αἰτίαν*: igitur Stesichorus in Helena sua istam Pausaniae fabulam non narraverat; si narravisset, Plato, qui Stesichori carmen ipsum expressit, ista verba sic non scripsisset, neque talem in modum fluctuassent de Crotoniata illo Locrensive a deo aliquo volnerato, in Leucen insulam delato, inde reduce variae variorum narrationes. Praeterea Holmii de palinodia quasi unius carminis triumphalis pars fuerit sententia nescio an inde infringatur, quod pluribus libris Helenam fuisse compositam Buechelerus (in annal. philol. LXXXI (1860) p. 368) et Bergkius PLG[3] p. 983 fr. 29 effecerunt ex argumento Theocr. XVIII; accedunt verba decantata Isocratis Hel. 64: *ἐνεδείξατο δὲ καὶ Στησιχόρῳ τῷ ποιητῇ τὴν ἑαυτῆς δύναμιν. ὅτε μὲν γὰρ ἀρχόμενος τῆς ᾠδῆς ἐβλασφήμησέ τι περὶ αὐτῆς, ἀνέστη τῶν ὀφθαλμῶν ἐστερημένος· ἐπειδὴ δὲ γνοὺς τὴν αἰτίαν τῆς συμφορᾶς τὴν καλουμένην παλινῳδίαν ἐποίησε, πάλιν αὐτὸν εἰς τὴν αὐτὴν φύσιν κατέστησε.* miram sane huic loco intercedere similitudinem cum Platonico Phaedri 243A Geel in mus. rh. vet. VI. p. 9 recte vidit, magna tamen idem iniuria vel de Platone Isocratis irrisore vel de Isocratis loco radicitus evellendo cogitavit: iure suo Geelio adversatus est Bakhuizen van den Brink in Symbol. litt. Batav. V. p. 130 sqq: neque quisquam hodie dubitabit quin multis annis post Platonis Phaedrum Helena Isocratis scripta sit; quocirca de Isocrate potius Platonis imitatore aliquis posset cogitare, nisi vetarent verba *ἀρχόμενος τῆς ᾠδῆς*. Quorum duas quas proposuerunt explicationes Welckerus, qui initium Stesichori studiorum poeticorum verbis illis spectari olim putabat, et Bergkius, qui in Orestiae exordio in Helenam convicia poetam contulisse coniciebat, nolo refellere, postquam unice probabilem dudum invenit Lehrs (eandem indicavit van den Brink l. c. p. 133) in „Popul. Aufs.“ p. 28, 29, qui de ipsius carminis initio, cuius summa in palinodia versaretur, dicta esse verba illa Isocratis contendebat: id quod comprobatur exordio servato *οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος*, ubi nego vocem *οὗτος* melius ad sequentem narrationem quam ad statim praecedentem referri, aptissime autem Lehrs Pindari exemplum comparavit, qui quae volgo ferebantur fabulas, si minus dignae erant, reiciebat, aliasque aliunde protractas substituit (qua

Digitized by Google

explicatione Holmii de carmine triumphali sententiae album calculum non adiectum esse ipse videbis, comprobatum vero eiusdem de caecitate iudicium rectissimum). Erat igitur palinodia pars Helenae carminis, pluribus libris confecti, quod utrum eodem totum tempore Stesichorus composuerit, an recantatione postea auxerit, in dubio relinquendum est. Stesichorum autem qui Helenae illas cecinit cum Menelao nuptias (v. s. p. 27), num veri simile est, eundem fecisse Menelaum cum simulacro verae uxoris e Troia non dico solum recuperato, sed secum domum abducto vitam degisse ad mortem usque et sepulcrum sacrationemque communem, veram autem uxorem nulla ipsius culpa ei ademptam esse iunctamque Achilli in Leuce insula, unde non erat ad Menelaum Spartamque reditus? Alius credat: mihi non probabis. narraverat autem Stesichorus compluribus libris de Helena cum Menelao iuncta, cum Paride sua sponte Troiam profecta, quam inde receptam et a Menelao frustra gladio petitam esse (tab. Iliac. Capitol. apud O. Jahn, Griechische Bilderchroniken tab. I. coll. ibid. p. 33 sq.), eandemque iudicio damnatam pulcritudine sua impetum eorum qui occidere eam vellent fregisse (frg. 25); tum vero Pindarico more versu *οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος* novam quae ei innotuit de Helena — a Mercurio puto — in Aegyptum ablata, a Menelao coniuge redempta fabulam Spartanam referre coepit.

Stesichorus igitur Herodotusque et Euripides [1]) in eo conveniunt quod narrant, Helenam in Aegyptum abditam esse, a Menelao frustra alibi quaesitam, tandem inventam esse Spartamque reductam.

---

1) Qui soli nobis adeundi sunt fontes, cum quae alia de Helena Aegyptia testimonia leguntur omnia inde derivata et consuta sint, sicut e. c. Anticlidis illa Troianae cum Aegyptia Helena coniungendae ratio ap. schol. δ 355 = frg. 12 in Scr. r. Al. M. post Arr. Duebneri p. 149), aut certe recentissimam aetatem fabularum discrepantias tollendi cupidam aperte produnt, velut ea quae Servius ad Aen. XI, 262 de Helena a Theseo in Aegyptum delata tradit.

Digitized by Google

VII.

Solus noster poeta Homericus contra facere videtur: ille enim non tam Helenae recuperandae causa Menelaum narrat in Aegyptum venisse, quam forte fortuna sive ad insulam quandam remotam adpulisse, ubi a sene marino non nominato Aegyptum petendi consilium accipit, sive ad ipsam Aegypti viciniam, ubi Idothea Proteusve ei aderant consiliorum auctores. Quid? num secum habet Helenam a Troianis recuperatam? dicit sane poeta, malacia Menelaum in insula illa quo minus domum rediret prohibitum esse: sed qui quaeso inter phocas odoresque marinos Helenae locus erat? Ne uno quidem verbo eam tangi, quae una cum Menelao sociisque per viginti dies in insula parum amoena commorata sit, quae postea cum eo Aegyptum fluvium petierit, inde cum eo domum redierit, quis non miratur? Illud de Helena poetae silentium duco momenti esse gravissimi, unde, comparatis quae composui Stesichori Herodoti Euripidis testimoniis, etiam nostro carmini eandem fabulam olim subiectam fuisse conicias, obscuratam eam societate qua rebus Troicis hice Menelai errores iungebantur.

Cur autem noster poeta Menelao Aegyptum fluvium finxerit petendum esse, ipse narrat his verbis non obscuris:

(475) *οὐ γάρ τοι πρὶν μοῖρα φίλους τ' ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι*
οἶκον ἐυκτίμενον καὶ σὴν ἐς πατρίδα γαῖαν,
πρίν γ' ὅτ' ἂν Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο
αὖτις ὕδωρ ἔλθῃς ῥέξῃς θ' ἱερὰς ἑκατόμβας
ἀθανάτοισι θεοῖσι τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσαν.

Num Graeci heroas suos, quos ipsorum generis auctores ducebant, alio *δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε* ad fines usque terrarum migravisse crediderint, ut diis sacrificia offerrent quibus ab aerumnis suis liberarentur, an eo ubi ipsos deos putabant habitare? Oceanum versus Ulixes, ad Aegyptum Menelaus proficiscitur, ille ad Herculis, hic ad Protei columnas (Verg. Aen. XI 262), illi cum inferis [1]), huic cum superis res est.

1) In ea scilicet quam nunc legimus Odyssea: olim enim Circen quam nescio an ipse Ulixes tum iam petierit, in insula habitasse

Digitized by Google

uterque eo se confert, ubi terram caelum contingit, unde sol cottidie prodit, ubi cottidie cadit, unde ea regio proxume abest, in qua deorum sive superorum sive inferorum origines arcesve sunt. Atque longe prius quam de Aegypto terra Africae certam aliquam Graeci notitiam habuerunt, Aegyptus eis fluvius caelestis erat, quo deorum sedes beatae muniuntur. Sublestae quidem fidei sunt quae Hesychius s. v. ἠλύσιον (— καὶ οἱ μέν φασι περὶ Αἴγυπτον εἶναι) et Etymologus M. tradunt: nam Apioni cum eis rem fuisse scholia HQ ad δ 563 docent et Eustathius p. 1509 25 sqq. [1]); sed Tritonis nomen quod Aegypto fluvio Graeci olim indiderunt [2]), Nilo non indidissent, neque Aegyptiadis illis quorum capita Danaides praecidunt, cum Aegypto terra aut Nilo fluvio res est [3]): αἰγυπέτους esse Usener me docuit, nec latebit cur διιπετεῖς Aegyptum fluvium et Sperchium Homerus appellaverit. omnino autem tota de Aegypti filiis et Danaidis narratio, et ipsa quae veteres eorum nobis prodiderunt nomina excepto uno Busiride mirum quantum abhorrent ab omni cum Aegypto terra Nilove fluvio societate: nec putabis casu factum esse, ut inter Aegypti filios Apollodorus Istrum enumeraret (v. s. p. 16, 2), si consideraveris, quae de antiquo Nili nomine Oceano veteres fabulatos esse Tzetzes narrat ad Lycophr. 119. 576 coll. Diodoro I, 12 οἱ γὰρ Αἰγύπτιοι νομίζουσιν Ὠκεανὸν εἶναι τὸν παρ' αὐτοῖς ποταμὸν Νεῖλον, πρὸς ᾧ καὶ τὰς τῶν θεῶν γενέ-

---

quae sub oriente sole sita erat Argonautarum Aeeti vicina, versibus usus μ 3—4:

νῆσόν τ' Αἰαίην, ὅθι τ' Ἠοῦς ἠριγενείης
οἰκία καὶ χοροί εἰσι καὶ ἀντολαὶ Ἠελίοιο

docuit Heimreich l. c. p. 20. cf. Gladstone in 'the contemporary review. 1874 July' p. 183.

1) cf. Lehrs quaestt. ep. 25. 26. ioci causa accedat Dio Chrysostomus I. p. 207, 18 sqq. Dind.

2) Lycophr. 119. 576. Plin. V, 54. cf. Bergk in annal. philol. LXXXI (1860) p. 315. cf. p. 305 sqq.

3) De quibus cf. quae bene exposuit Preller myth. Gr. II² p. 47; »add. Callim. h. in Dian. 171 ἀγχόθι πηγάων Αἰγυπτίου Ἰνωποῖο (cf. h. in Del. 206 sq. 256 ex vetusto nomine fluvii Deliaci fabula efficta est non dissimilis eius quam de Alpheo et Arethusa narrabant)« Usener.

Digitized by Google

σεις ὑπάρξαι. atque ridiculus sane esset, qui Aegyptii Ithacensis nomen [1]) ab Aegypto quam postea Graeci vocabant terra tunc temporis vix eis nota petitum esse sibi persuaderet.

Haec sufficiant, quibus Aegyptus fluvius comprobetur olim Graecis fuisse longe alius atque is quem Nilum vocabant: qui altius descenderit Iusque errores et ea quae de Aegypto terra et Nilo etiam posteri fabulosa narrabant, fabulasque quas apud Aethiopas gestas putabant, velut Andromedae liberationem (cf. Hdt. II, 15 init.) vel Memnonis personam perpenderit, pluribus confirmari videbit id quod etiam sola de Helena in Aegyptum translata narratione omni dubio eximitur, antiquo tempore Aegyptum quoque sicut Oceanum et Acheloum Xanthumque divinum Graecis fluvium fuisse. obscurata hinc demum haec memoria est, postquam Aegyptum terram exploratam habuerunt eodem nomine ab ipsis Graecis similive ab incolis appellatam.

Aegyptia autem Helena a Troiana nullo modo differt, quamquam quae de ea nobis traduntur narrationes mutatae atque obscuratae sunt, id quod maiore Troicae fabulae celebritate factum esse quivis videbit.

Sin autem inter se comparaveris quae noster de Proteo Homericus poeta, quae Stesichorus Herodotus Euripides tradunt, eadem opera facile et quae antiquissima fabula continebantur, dignosces, et ea secernes, quae addiderunt qui cum rebus Troicis et fabula qualis apud epicos poetas Ionicos circumferebatur nostram coniungere studebant. Evadit enim fabulae forma multo magis primitiva et simplex, quam ea est quam epici poetae canebant augebant mutabant: quam Ilium [2]) Paris, eam ad Aegyptum fluvium Mercurius detulit; quam e Troia incendio combusta olim Achilles (quam rem longius nunc est demonstrare), eam ab Aegypto ξανθὸς Menelaus reduxit. invita abducitur, ideoque omni culpa vacat, quae in Protei regia adservatur. Menelaus Helenam raptam

1) β 15 sq. τοῖσι δ' ἔπειθ' ἥρως Αἰγύπτιος ἦρχ' ἀγορεύειν,
ὃς δὴ γήραϊ κυφὸς ἔην καὶ μυρία ἤδη.

2) De Ilio conferas quae effecit O. Meyer quaestt. Hom. p. 1—25, de Pergamo lucis arce, quae Usener docuit Mus. rh. XXIII p. 345—357, quibus addas Lycophronis v. 805.

Digitized by Google

recuperare studet, solus ille neque ullo iam [1]) amico in operis societatem accepto, qualem ipse postea Agamemnonem, Iolaum Hercules, Orestes Pyladem, Peleus Chirenem, Patroclum Achilles, Ulixes Diomedem, Theseus Pirithoum habent. Longis autem erroribus peractis et multas aerumnas perpessus ad insulam pervenit, ubi senex quidam marinus (atque in alia fortasse fabula Idothea) *δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε* ei eundum esse ad Aegyptum fluvium lucisque sedes — fortasse postquam superatus a Menelao et placatus erat — praedicat, ubi a diis recuperet quam perdidit; ille quidem dicit sacrificiis et precibus Menelao agendum esse ut votorum compos fiat: istorum votorum summam Helenam esse quam amiserit recuperandam nunc puto esse perspectum. Tum Menelao Helenae custos superandus est, qui (*δ* 417):

πάντα δὲ γιγνόμενος πειρήσεται, ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
ἑρπετὰ γίγνονται καὶ ὕδωρ καὶ θεσπιδαὲς πῦρ.
(v. s. p. 36.)

Tandem Menelaus redimit quam quaesivit, immortalem mortalis, atque cum ea in beata illa regione diis vicina demoratur (cf. *δ* 125 sqq. 227 sqq.), unus ille mortalium qui tanto honore dignus habetur: *οὕνεκ' ἔχεις Ἑλένην καί σφιν γαμβρὸς Διός ἐσσι.* septem ille annos a patria abest, octavo redux fit (*δ* 82 coll. *γ* 303 sqq.): etiam Iambulus apud beatae insulae incolas idem tempus demoratus esse fertur, cf. Diod. II, 60: *ἑπτὰ δ' ἔτη μείναντας παρ' αὐτοῖς τοὺς περὶ τὸν Ἰαμβοῦλον ἐκβληθῆναι ἄκοντας ὡς κακούργους, καὶ πονηροῖς ἐθισμοῖς συντεθραμμένους. πάλιν οὖν τὸ πλοιάριον κατασκευάσαντας συναναγκασθῆναι τὸν χωρισμὸν ποιήσασθαι*: compares Herodotum II, 119: *τυχὼν μέντοι τούτων ἐγένετο Μενέλεως ἀνὴρ ἄδικος ἐς Αἰγυπτίους· ἀποπλώειν γὰρ ὡρμημένον αὐτὸν ἶσχον ἄπλοιαι· ἐπειδὴ δὲ τοῦτο ἐπὶ πολλὸν τοιοῦτο ἦν, ἐπιτεχνᾶται πρῆγμα οὐχ ὅσιον· λαβὼν γὰρ δύο παιδία ἀνδρῶν ἐπιχωρίων ἔντομά σφεα ἐποίησε· μετὰ δὲ ὡς ἐπάιστος ἐγένετο τοῦτο ἐργασμένος, μισηθείς τε καὶ διωκόμενος ᾤχετο φεύγων τῇσι νηυσὶ ἐπὶ Λιβύης.* cf. Gerland l. d. p. 9. 28 et tot omnium nostrarum gentium narrationes de eadem re easdem omnes.

1) cf. Gerland l. c. p. 30. 31.

Digitized by Google

Romae, formis Caroli Georgi.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

form 410

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google